DE PRODUCTIONE BREVIUM SYLLABARUM IN HOMERI ILIADE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXIX. M. MART. MDCCCLXV HORA XI.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS RASCH,

ILEBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

TH. VOGEL, CAND. PHIL.

H. LUETTICH, STUD. THEOL.

HALIS,

FORMIS HEYNEMANNIANIS.

Ut lingua numeris exculta plurimum confert ad artes poeticas iuvandas, quoque politior est, eo minus poetarum conatus retardat, ita praeclarum poetae ingenium haud mediocriter valet ad linguam formandam et novis incrementis augendam. Constat autem metrum in sermone mutando vel expoliendo summi esse momenti praesertim cum syllabarum varietates numeris sese debeant accommodare. Nam etsi probo poetae vix metrum obest, interdum tamen metrorum necessitati paululum ille concedit, cuius quae sit vis in versuum artificiis et verborum collocatione satis animadverti potest. Clarissimum vero documentum praebent Homeri carmina, si quis ad unum hujus generis caput attendere velit, quod ad prosodiam pertinet sive creberrimas syllabarum contractiones, synizeses aliasque mutationes, quarum usu Homerus a poetis aetatis posterioris vehementer recedit. Peculiarem quidem illius licentiam nemo nescit, qua breves syllabas producere solet, cum apud reliquos epicos rarior extet ista prosodia nec nisi certis legibus et cautionibus concessa. Sane viri quidam docti sibi persuaserunt eum usum ab heroici versus proprietate sive metri dominatione repetendum esse, cui lingua Graeca fuerit obnoxia; his tamen omnino repugnandum opinor, viros doctissimos secutus, qui imprimis inde ab Hermanni aetate rectissime licentiam talem refutabant, qua Homerus ad arbitrium vel ut veteres grammatici dicere solent *διὰ μέτρου εὐχρηστίαν* brevibus syllabis pro longis uti potuerit.

Primus igitur qui hoc licentia quadam ab Homero factum plane negavit Godofredus Hermannus, subtiliter causas totius quaestionis explicavit in libris de metris poetarum Graecorum et Romanorum et in Elementis doctrinae metricae. Praecipuas ille causas agnovit primum vim arsis, deinde mensuram ancipitem in ordinis exitu, postremo robur accentus. Sed arsi vereor ut iure tantam vim concesserit: nam etsi magnum afferat momentum idque haud raro gravissimum ad syllabas

producendas, nullum tamen locum observavi, qui solam arsin sufficere demonstret. Neque secundam causam probandam puto, quippe quae divisione hexametri non recta nitatur. Hermannus enim versum heroicum sic divisit in tres partes, ut ad primariam caesuram semper fere secundaria quaedam accedat. Sed in hexametris dactylicis ordo cum caesura non solet convenire, cum minus diaeresin, quam caesuram praebeant, qua pes discinditur. Denique vix dubitari potest, quin accentui minor vis tribuenda sit. Nam ut verum sit ictum in Graecorum poësi nunquam fuisse neglectum, ad versum tamen ille minus valuit, siquidem poësin antiquam potissimum ex syllabarum mensura pendere constat. Ceterum novissimis Graeciae temporibus degenerante lingua regnabat accentus in versibus componendis, id quod versus qui dicuntur politici demonstrant; Homerus autem accuratissime syllabarum mensuram et rationes exegit.

Deinde praeclarus liber in hac quaestione versatus Spitzneri est de versu heroico. Is diligenter de gravissimis partibus disseruit et necessariam materiam plenissime protulit, nec tamen disputationem perfecit, cumque non semper causas productionum probabiliter explicet, maluit locos in genera redactos enumerare. Huc accedit quod doctrinam digammi prorsus reiecit, itaque permultas difficultates nequivit superare. Recte tamen fecit quod magnam partem productionum ad caesuras revocat; minus recte, quod ad accentus vim interdum confugit. Porro vereor ne nimiam vim tribuat interpunctioni, quae brevem syllabam excipiat, ratus hujus generis exemplis Iliadem et Odysseam abundare.

Post Spitznerum accuratissime partem hujus quaestionis tractavit Hoffmannus in Quaestionibus Homericis. Disseruit ille de productionibus syllabarum brevium in exitu vocum: quae quamquam solam partem amplissimae disceptationis efficiunt, sane gravis est pars et patet latissime. Ceterum satis probabilem explicationem plurimarum productionum attulit, quamvis nonnulla minus perspexisse vel parum constanter peregisse videatur.

Omnino viris doctis assentior, qui varias causas in hac quaestione putent admittendas esse, nec fieri potest ut, quod nonnullis placuit, omnes vel plurimae productiones ad unicum

explicatum revocentur, velut ad solam vim caesurae vel arsium aut ad singularem pronunciandi modum.

Itaque superest ut ratio constituatur, quam in universum sequi debeamus. Miramur breves pro longis syllabis usurpatas, quod rhythmus interruptus esse videtur. Quodsi rhythmus, id est aequalitas temporis in successionibus arsium et thesium, turbatur syllaba brevi vel potius breviore, debet momentum aliquod adesse, quo suppleatur tempus sive mora, quae deest syllabae brevi, ita ut haec longae vice fungi possit. Tota igitur disputatio continebitur in quaerendis momentis, nam ut dictum est unum minime suffecerit. Haec enumeraturus ad productiones syllabarum praevertor, quae in initio versus leguntur; hinc ad eas pergam, quae in mediis verbis et in fine verborum inveniuntur.

I. De productione syllabarum, quae in initio vocum exstant.

Exordimur ab iis locis, quibus solam speciem productionis inesse demonstrari potest. Hujusmodi sunt versus, in quibus voces ἕως et τέως brevis syllaba subsequitur. Principalis enim forma illarum vocum erat ἧος et τῆος, id quod si ad originem redimus, statim apparet. Ἧος enim est genitivus pronominis relativi ὅς vel potius generis feminini hujus pronominis, cum suffixum genitivi ος ad feminini formam ἡ adjectum sit. Minime vero offendere potest, quod apud Homerum, cum vox pro particula exstet, forma ἧος, cum pro vero genitivo pronominis relativi, semper vulgaris forma ἧς legitur; nam in pronominibus multo prius debilitationem quandam exstare, quam in aliis vocibus satis constat. Vocem τέως vero non aliter se habere atque ἕως, cum e similitudine et aequalitate earum tum ex Cretensium forma τάως, cui subest τᾶος, concludi potest; igitur in Jonum quoque dialecto primum τῆος, tum, quod ex eo metathesi ortum est, τέως exstitisse, statuere licet. — Interdum praeter ἕως et τέως in libris etiam εἵως et τείως invenitur, quae tamen formae errore tantum vel ignoratione verae formae ab illis, qui transscripserunt carmina, eis

infixae sunt, quod subinde necesse esse videbatur, ut vox ἕως sive τέως spondeum efficeret. Sed ubique fere, ubi spondeum efficit ἕως, vox a consona inchoata subsequitur, ita ut recta forma ἧος substituta metrum nequaquam turbetur. In duobus tantum Odysseae locis vox a vocali inchoata subsequitur, ν 315. et ο 153., ubi εἵως ἐν Τροίῃ — exstat, sed levissima mutatione vocis ἐν in ἐνὶ his locis mederi licet. Denique praeter ἧος et τῆος paucis locis posteriores quoque, apud Atticos imprimis usitatae formae ἕως et τέως exstant, aut pro iambo aut pro monosyllabo, sed in novissimis demum Iliadis partibus, nempe Ω 658. ὄφρα τέως αὐτὸς et Ρ 727. ἕως μὲν γάρ. Praeterea ἕως et τέως, vel potius ἧος et τῆος in Iliade inveniuntur Ο 630 ἕως ὁ τῷ πολέμιζε, Ψ 602 ἕως ὁ τῶν Α 193, Κ 507, Λ 411, Ρ 106, Σ 15 ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε —, Τ 189 μιμνέτω αὐτόθι τέως, ἐπειγόμενος —

Ceterum is tantum mirari potest, quod in codicibus nostris forma talis tradita sit, cum re vera alia legenda sit, qui ignorat historiam carminum Homeri. Primum enim omnino dubitari potest, utrum inde a tempore, quo composita sunt, continuo literis mandata sint haec carmina an potius per tempus aliquod recitatione tantum memoriaque tradita et multo post demum literis expressa sint. Sed sive illud sive alterum recte se habet, gravissimum est in historia carminum momentum, cum recentioribus literis perscriberentur. Primum enim alphabetum ad ea scribenda adhibebatur, quod Atticum dici solet, in quo neque geminatae consonae neque vocales η et ω, neque diphthongi ει et ου signis peculiaribus expressae erant; pro geminata potius simplex consona scribebatur et pro longis vocalibus et diphthongis brevis vocalis signum, Ε igitur pro η et ει, Ο pro ω et ου. Postea vero, novis signis in alphabetum receptis, Ω pro longo o, ΟΥ pro longo u scribebatur, ad breve u vero, quod imprimis Aeoles obtinebant, tum Υ, tum Ο signum referebatur. ΕΟΣ igitur, ut exemplum afferam, novem voces significare potuit in priore alphabeto, prout aut ε, η, ει aut ο, ω, ου substituendum erat, nempe ἕος, ἧος, εἷος, ἕως, ἥως. εἵως, ἕους, ἥους, εἵους. Cujus vocum copiae paucarum literarum conjunctione expressae si rationem habemus, profecto mirum esse non potest, in trans-

scriptione illa in recentius alphabetum interdum errores irrepsisse; subinde vero etiam consulto forma versui non prorsus respondens scribebatur, cum ipsius lectoris arbitrio versuum legendorum periti permitteretur, ut rectum legeret. Non igitur semper confidere possumus librorum lectionibus, quod aperte illae voces ἕως et τέως demonstrant.

Neque aliena est ab hac explicandi ratione productio, quae exstare videtur *M* 208, ubi legitur *αἰόλον ὄφιν*. Hic quoque altera forma substituenda est, cum pro ὄφις legendum sit ὄπφις. Hanc enim formam statuere non dubitandum est; nam ad radicem ὀπ-, id est spectare vel ad principalem radicis formam ak-, quam Sanscrita lingua praebet, referendam puto. In primitiva igitur illa lingua, quam grammatici Indo-Germanicam dicere solent, notionem serpentis expressam fuisse voce ak-vi-s (proprie idem atque Latinorum spectans) statuendum est. Hanc enim formam ut ponamus, analogia nos commovet, quam Sanscrita lingua praebet. Huic vocabulo responderet in Graeca lingua ὄκ-*F*ι-ς, a quo usitatis sonorum legibus et ὄπφις et ὄφις descenderunt, illa quidem prior, haec debilitatione quadam ex ea orta, sed tum usitatior forma. Omnino vero debilitationem talem vel priorem firmiorem formam statuere minime dubitabit is, qui, quamvis paullulum tantum, historiam linguae cognoverit. Apud omnes enim gentes lex illa valet, qua nulla lingua, quamdiu omnino gens ea utitur, unquam prorsus perfecta et absoluta est, sed perpetuo commutatur et continenter variatur, et ita quidem semper, ut ad debilitandas et levigandas formas inclinet. Cujus debilitationis cognitio imprimis ad Homerica carmina valet, cum ita multa difficilia loca illustrentur et via pateat, qua eorum explicatio instituenda sit. Nam in Homericis carminibus potissimum tot momenta conveniunt, ut vulgares etymologiae leges, quibus ipsa Graeca lingua affertur et analogia, quam ea praebet, saepe non sufficiant ad explicandum. Haec enim carmina, cum antiquissimum literarum Graecarum monumentum sint et quasi transitum efficiant e priore linguae statu in recentiorem promiscue et multa nova et antiquiora elementa exhibent. Cum praeterea ratio illa levigandarum formarum, quae apud Jones imprimis exstitit, jam latius pateret, lingua tum quasi liquidae speciem praebuit.

Hac re vero difficultas multorum locorum continetur, quod recentiorem quidem linguae statum, non tamen priorem cognitnm habemus eumque conjecturis tantum explanare possumus. Jam vero nostris temporibus optimum auxilium allatum est, dico grammaticam linguas comparantem, quae recte adhibita profecto saepissime locis obscuris lucem affert, quoniam certam normam et methodum exhibet, qua conjecturae illae prioris linguae status instituantur. Neque jam quisquam hoc adjumentum prorsus refellit, idque fortasse clarissime ejus praestantiam declarat, cum prius plurimi ei infestissimi essent. Saepius igitur nos ad propinquas linguas regredi in explicandis locis quibusdam, maxime necessarium videtur idque eo magis, si simul rationem habemus cum historiae carminum vel singularis modi, quo tradita sunt, tum potentiae, qua traditio omnino in artibus Graecorum, imprimis vero in epica poësi utebatur. Si vero quis hoc ea de causa refellere velit, quod hac conditione maxima inconstantia in explicandis Homeri carminibus adhibeatur, cum tum haec, tum illa forma poëtae adscribatur, quaecunque interpreti commoda sit, hoc argumentum profecto auctoritate caret, cum is quoque, qui ex ipsa Graeca lingua omnia explicare velit, saepissime hanc inconstantiam praestare debeat et omnino hoc satis explicetur singulari carminum natura. Sed fortasse hoc objici potest, etiam grammaticam linguas comparantem subinde non satisesse ad explicandas difficultates. Nam sane sonorum mutatio non semper certam normam, sed in variis dialectis mirificam saepius rationem sequitur, et tum imprimis taedium Graecorum consonarum v, j, s saepissime maximas turbas effecit. Sed hoc quoque argumentum ad hanc quidem quaestionem minus pertinet, cum hic saepissime jam satis sit, demonstrare, omnino consonam aliquam in vocibus quibusdam exstitisse, cujus vis apud Homerum valeat ad versum componendum, quamvis non satis pateat, quae consona fuerit. Hoc vero clarissimum est, modum servandum neque Homero formas affingendas esse, quas jam multo prius plane evanuisse constet. Semper igitur ratio habenda est facultatis formarum illarum secundum analogiam cum ipsius Homeri sermonis tum dialectorum aliarum. Nam Homeri carmina, quamvis primum literarum Graecarum monumentum, tamen, si ad principalem

illam linguam spectamus, ad novissima tempora pertinent, quibus in universum Graecorum lingua jam peculiarem suam formam et naturam praestitit. Maxime igitur cavendum est, ne formas adjudicemus Homero, quibus carmina ejus re vera speciem potius Indogermanicorum quam Graecorum praestent; certe interdum prodesse mihi videtur, quaestionem, si duplex explicandi facultas exstat, non dijudicare, sed causis in medium prolatis integram eam reddere et arbitrium in eligendo facere. Omnino vero in comparandis linguis propinquis eas tantum formas afferam, quae quaestionibus virorum sagacissimorum satis certae sunt, dubias vero prorsus ommittam, cum in hac quaestione, ubi amplissima conjectandi area patet, summa cautione nos uti oporteat. Ut tamen regrediar ad rem, minime dubitandum est, Homero formam *ὄπφιν* asscribere, quae nequaquam a sermonis posterioris consuetudine recedit, id quod voces velut *σκύπφος* et *σκύφος*, *ὄκχος* et *ὄχος*, aliae demonstrant.

Denique ad eandem hanc rationem etiam productio pertinet, quae exstare videtur *I* 5 et *Ψ* 195, ubi *Βορέης* spondei loco legitur. Quodsi quis hanc vocem enunciando contrahendam putat, ita ut iambum efficiat, hoc fortasse probari possit, cum illa vox in initio versus exstet, ubi sane poëtae majorem libertatem concessam fuisse, paulo infra demonstraturus sum. Attamen offendit, quod nunquam praeterea vox in primo pede exstat, quae iambum efficit. Hic potius aut propria pronunciatione consonae productio firmanda est, tamquam *Βοῤῥέης* exstaret, quod tum synizesi adhibita disyllabum esset aut, idque simplicissimum mihi videtur, hic quoque altera forma afferenda est *Βόῤῥης*. Rectissime nos hanc formam statuere posse, etymologia confirmat. Nam si propinquas linguas arcessimus, in Graeca lingua prima forma ponenda est *Βόρjης*, ex qua, cum *j* a Graecis non conservaretur, aut *Βορέης* ortum est, consona *j*, ut saepissime, in *ε* mutata, aut *Βόῤῥης* assimilato *j*. Hoc probatur praeterea cum analogis vocibus velut *στεῤῥὸς* et *στερεὸς* — utrique enim *στερjός* subest, — tum ipsa forma *Βοῤῥᾶς*, quae postea in vulgari sermone exstitit, sive re vera e prima illa forma *Βόρjης*, sive propter usum tantum epicorum ortum est, quo *Βόῤῥης* pronunciandum erat.

Praeterea productio offendere non potest *B* 553 *γένετ' ἀνὴρ* *Γ* 61 *ὑπ' ἀνέρος*, *E* 31 *Ἄρες Ἄρες* 704 *χάλκεος Ἄρης*, *B* 767 *φόβον Ἄρηος φορεούσας*, N. 444 *ὄ βριμος Ἄρης*, *B* 307 *ἄγλαον ὕδωρ* 752 *καλλίῤῥοον ὕδωρ* (item *M* 33), *Φ* 345 *ἀγλαὸν ὕδωρ*, *Π* 385 *λαβρότατον χέει ὕδωρ*, *Λ* 265 et 541 *ἔγχεΐ τ' ἄορι*, *O* 256 *χρυσάορον*, *A* 86 *οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα* 370 et saepius *Ἀπόλλωνος*, *Δ* 194 *ἐπὶ κνέφας ἱερὸν ἔλθῃ*, *H* 407 *ἱερὸν ἰχθύν*, *Θ* 66 *ἱερὸν ἦμαρ*. — Nam ut in omnibus dialectis, etiam in Homerica syllabae re vera ancipites exstiterunt. Et quamvis semper obtinendum sit, in priore lingua, ubi sensus et judicium aurium acutius erat, in universum quantitatem singularum syllabarum certam fuisse, tamen jam apud Homerum illa titubatio initium cepit, quae postea magis magisque apparet. Neque id mirum, si rationem habemus inclinationis linguarum debilitandi formas, quae hac re quoque patet, quod variis temporibus voces quaedam diversa quantitate utuntur. Sic notissimum est, in voce *καλὸς* apud Homerum vocalem *α* longam, apud Atticos brevem esse et similiter voces *ἶσος*, *ἀρὰ*, *ἀρῶμαι* se habere. Quod vero haec mutatio jam proximis temporibus post Homerum apparet, cum Hesiodus velut *καλὸς* jam correpta vocali subinde (*Ἔργα* 63, *Θεογ.* 585) praebeat, profecto non temere conclusum videtur, apud Homerum quoque quibusdam vocibus ancipitem mensuram fuisse. Voces, quae huc spectant, sunt *ἀνήρ*, *Ἄρης*, *ὕδωρ*, *ἄορ*, *Ἀπόλλων*, *ἱερός*. —

Φᾶος vero non huc referendum est, cum omnibus in locis, ubi metrum priorem syllabam brevem, ultimam longam flagitat, *φόως* legendum sit.

Omnino igitur Homeri tempore jam syllabas quasdam ancipites fuisse, satis patet; sed hanc varietatem quantitatis tum demum initium cepisse, procul dubio constat, quod semper momento aliquo adjuvante opus erat idque simul clarissime demonstrat, poëtam maxime studuisse, omnem offensionem productionis vitare. Ubicunque enim illae syllabae pro longis exstant, in arsi ponuntur, cum apud posteriores et in arsi et in thesi tales ancipites syllabae longarum vice fungi possint. Praeterea eae tantum vocales ita adhibentur, quae natura quasi ad ancipitem usum inclinant dico *α*, *ι*, *υ*. Quod Buttmannus

sane negat, cum omnium vocalium pondus in hac quidem re par fuisse et propter distinctionem tantum posteriorem vocalium ε, ο et η, ω hanc opinionem exstare potuisse dicit: prius vero etiam syllabas, quae re vero vocalibus e vel o natura longis usae sint, brevis tantum vocalis signum in scriptura exhibuisse, ita ut tum quidem clarissimum fuerit, nequaquam has voces ab illis alienas esse, ubi vocales α vel ι vel υ natura longae exstent. Attamen differentia illarum vocalium mihi quidem non neganda videtur, et ipsam distinctionem posteriorem longi et brevis e vel o hoc affirmare puto. Cur enim ea necessaria fuit, nisi major differentia inter breve et longum e vel o observabatur, quam inter breve et longum α vel ι vel υ. Has vocales novis signis allatis inter se distinguere non necessarium videbatur, quod diversa mensura hic minus certe apparebat. Concedo sane, hoc magis ad posteriora quam Homeri tempora pertinere, attamen contendam, tum quoque productionem vocalium α, ι, υ non eandem offensionem praestitisse, quam vocalium ε vel ο.

Neque minus productiones excusantur, quae exstant *Δ* 592 ἀνερχομένῳ, *Z* 62, *H* 121, *Λ* 793, *O* 404 παρειπών, *Z* 337 παρειποῦσα. Huc enim digamma afferendum esse nemo ignorat. Cum hujus consonae doctrina, quamvis perdiu a multis vehementer repulsa, jam adeo ab omnibus probata sit, ut nemo serio neget, eam ad versum componendum apud Homerum valuisse, non necesse esse mihi videtur, ut accuratius hic de ea disseram.

Eadem explicandi causa, quae ad παρειπών, etiam ad *M* 26 συνεχὲς afferenda mihi videtur, ubi non quidem digamma, sed σ extritum est; de hac vero voce et de ratione, qua in ea prior consona Homeri temporibus valuerit, infra accuratius disserturus sum. — Neque aliena est ab illis locis productio *B* 765 οἰετέας, nisi quod hic digamma, quod in illis integrum exstitisse putandum est, in aliam literam transiit. Primo obtutu quidem hoc οἰέτης aliquid offensionis habere videtur, nam formam ὀετέας potius exspectamus, cum e voce ὁμοέτης eadem ratione ortum sit, qua ὄθριξ, ὄθροος, ὄζυξ ex ὁμόθριξ, ὁμόθροος, ὁμόζυξ. Et sane veteres grammatici, velut Eustathius, hoc ι appositum esse διὰ μέτρον εὐ-

χρηστίαν dicunt; de licentia igitur illa cogitant, quam supra prorsus refellendam existimavi. Vox ὁμοέτης, vel quae prima forma statuenda est ὁμοFέτης potius per contractionem in ὀFέτης, tum in οἰέτης mutata est, ut in aliis quoque vocibus digamma subinde in vocalem ι transiit. Hanc mutationem exhibent velut ζειά, quod respondet voci java in Sanscrita lingua, πλείειν, ἀκλειής, θείειν, ποιή, χλοιή alia. Ceterum peropportunum mihi videtur, hic de eis vocibus in universum paucis agere, quae plerumque alienae a posterioris linguae usu apud Homerum diphthongum vel longam vocalem praebent et hac de causa ad productiones hic tractatas spectant. Sed quod usitatis linguae, maxime dialecti Jonicae et Aeolicae, legibus confirmatae sunt hae productiones, omnino ne minimum quidem offensionis offerunt, quare eas in universum paucis commemorare hic satis erit. Leges illae sunt primum transitus consonae spirantis in aliam literam, velut θείειν pro θέFειν, πλείειν pro πλέFειν, ζειά et ζείδωρος pro ζεFά, ζέFδωρος, αὖλαξ pro ἄFλαξ, εὖτε pro jότε, ἀδευκής pro ἀδjοκής.

Tum contractio effecta litera aliqua extrita, velut εἰργασάμην pro ἐFεργασάμην, εἷλκον pro ἔFελκον, multa alia id genus.

Tertio loco extensio vocalis proximae ad compensandam consonam aliquam extritam afferenda est, velut ἠείδη pro ἐFείδη, βασιλῆος pro βασιλέFος, ἔστειλα pro ἔστελσα, πούς pro πόδ-ς. Similiter μειλίσσω, μείλιχος alia id genus se habere, Curtius explicuit (Grundz. d. Etymol. Nr. 464.), cum a radice marl- descendant, quae tum in μελλ-, tum in μειλ-mutata sit.

Quarto loco confirmatio syllabarum vocali aliqua adjecta commemoranda est, velut in ἐρεύγω pro ἐρύγω, ἀλείφω a radice λιπ-, λειμών pro λιμών, multis aliis. Ita etiam genitivi velut πόληος explicandi videntur, cum e stirpe πολι-confirmatione ortum sit πολει-, ita ut genitivus πόλειος, tum πόλεjος, denique πόληος statuendus sit.

Denique huc spectat epenthesis, quam dicunt grammatici recentiores, id est trajectio vocalis ι vel υ in priorem syllabam, velut εἰν pro ἐνί; φθείρω pro φθέρjω, τείνω pro τένjω, ξεῖνος pro ξένιος, οὖλος pro ὄλFος, πουλύς a radice πολFο-, (cf. Curtius Grundz. d. Etym. Nr. 375; Benfey Wurzellexikon

II, p. 85), μοῦνος pro μόνϝος, ἀπειρέσιος pro ἀπερείσιος, multa alia; interdum etiam vocalis ι vel υ, quamvis ipsa suo loco conservetur, hoc efficit, velut in ξείνιος pro ξένιος, φοίνιος pro φόνιος, εἰνί pro ἐνί, κρείσσων vel primum κρείτjων pro κρετjων, alia id genus. Denique ad epenthesin etiam ὑπείρεχον pro ὑπερεῖχον, similia spectant. — In posteriore lingua ex parte similia apparent, plerumque vero illae vocales vel consonae, quae Homeri tempore tot mutationes effecerunt, sine ullo vestigio evanuerant. —

Causa gravissima jam addi potest liber usus, qui in prima versus sede adhiberi solet. Illi versus huc spectant, quos veteres στίχους ἀκεφάλους nominabant, quo nomine versus significabant, in quorum primo pede pro spondeo trochaeus vel jambus vel tribrevis exstat. Nam veteres grammatici de his rebus plerumque exteriorem tantum speciem observantes judicabant, et hac ratione productiones quoque in tria genera dispertierunt, prout aut in initio versus aut in medio aut in exeunte versu exstent; statuunt enim primum στίχους ἀκεφάλους, tum λαγάρους, denique μειούρους (cf. Athenaeus XIV, p. 620). Quos omnes plerumque recitandi modo explicare et probare student, sed quo jure, non difficile est intellectu; nam posteriores quoque poëtas interdum productiones praebere satis constat, quamvis ars canendi non ad eorum carmina spectet.

Illos tamen versus, quos ἀκεφάλους vocant, sane quodammodo hac causa excusare licet. Nam de illa ratione cogitandum est, quam Romani sublationem, nos Auftakt nominare solemus. Praeterea vero aliae causae accedunt, quibus ne minimum quidem offensionis liberior hic usus exhibet. Nam in initio versus vox integris quasi viribus in primam vocem cadit eamque acrius pronunciat. Propter collocationem quoque verborum, quae in initio versus potissimum facillime poëtae angustias facere potuit, fortasse major libertas in primo pede ei concedenda erat. Spectant huc *Δ* 155, *E* 359 φίλε κασίγνητε *Φ* 352 τὰ περί, *Γ* 357, *Δ* 135, *H* 251, *Λ* 435 διά, *Λ* 497 δαΐζων, *X* 236 ὃς ἔτλης, *Ω* 154 ὃς ἄξει, *X* 379, *Ψ* 2, alibi ἐπειδή, *Ω* 1 λῦτο δ' ἀγών. — Ceterum eo minus Homero hunc usum opprobrio facere licet, quod in aliis quoque versuum generibus et apud plurimos poëtas eadem haec varietas primi

pedis invenitur, id quod satis demonstrat, certa lege cunctae Graecorum poeseos hoc sanciri.

Saepissime etiam ante consonas liquidas productio invenitur, ubi prorsus nova explicandi causa mihi statuenda videtur. Prius enim a grammaticis consonas omnino divisas esse in mutas et sonantes satis constat. Multo significantior vero divisio est, quam novissimis temporibus nonnulli instituerunt, ita ut consonae durantes et consonae explosivae sive momentariae, ut ita dicam, discernantur. Ad explosivas consonas eae pertinent, quae enunciatae statim exhalantur et in auras effugiunt; consonas durantes vero aliquamdiu in pronunciatione sustinere et conservare licet. Consonae durantes igitur quasi geminatae consonae vim in pronunciatione praestare possunt, ita ut suo jure positionem efficere aptae sint. Nam productio per positionem, quid est, nisi extensio temporis, quo syllaba in pronunciatione utitur? Utraque enim consona ipsa sane parvi momenti est, sed una cum altera consona syllabae satis temporis addit, ut recte ea idem temporis spatium ad se vindicet, atque syllaba, in qua vocalis natura longa exstat. Profecto vero par est, jus, quod duabus consonis conjunctis conceditur, uni consonae permitti, si per se idem tempus in pronunciatione consumit. Mediam quasi rationem obtinent consonae, quae duplices dici solent, ψ, ξ, ζ; hic enim duae consonae tam arcte cohaerere videbantur, ut unam efficerent atque haec imprimis causa fuit, cur unum signum eis quaereretur. Quas duplices consonas cum nunquam fere Homerus dubitaret ad producendas syllabas affere, etiam ζ, infirmissimam earum, profecto mirum esse non potest, eum illis consonis quoque durantibus, quas in pronunciatione simillimas reddere licuit consonis duplicibus, interdum hoc jus concessisse. Etiam alia ratione hoc probari potest. Jones enim mollissimos et acutissimo sensu praeditos fuisse nemo ignorat. Velut conjunctio consonae mutae cum liquida, quae apud omnes gentes levissima consonarum junctura habetur, tam aspera eis videbatur, ut semper fere in Iliade positionem efficiat. Quodsi conjunctio tam levis jam hanc vim praestitit, num mirum est, etiam consonas durantes acuto eorum aurium judicio satis graves videri potuisse, ut syllabam producerent? Denique infinita quoque

exemplorum copia hoc confirmatur, quae in Iliade exstant, non quidem hujus productionum generis, de quo jam ago, sed ejus, quod tertio loco tractandum proposui, ubi syllaba finalis producitur; in hoc tertio vero genere multo maxima pars productionum ante voces a liquidis inchoatas evenit. Sed vereor, ne ad primum quoque genus haec causa afferenda sit et grammaticis tantum auctoribus hic semper consona re vera geminata exstet, si additamentum aliquod initio vocis adjicitur aut in compositione aut in flexione. Nam transcriptis carminibus usitatum remedium, quo probare studuerunt productiones, aut geminatio consonae subsequentis aut substitutio longae vocalis vel diphthongi propinquae erat. Singulis exemplis perlustratis hoc planum erit. Imprimis huc formae verborum pertinent, quae augmento utuntur; hae enim apud Homerum semper fere cum geminata liquida exstant, velut *ἔλλαβε*, *ἔλλιπε*, alia id genus. In posteriore quoque lingua tales formae inveniuntur, velut *ἐῤῥάγην*, *ἔῤῥεον* alia, sed in verbis tantum *α ρ* inchoatis, sive propter asperrimam naturam consonae caninae sive propter literam, quae semper temporibus prioribus ante hoc *ρ* initiale exstitit. Praeterea omnia verba, quae in vulgari sermone aut augmento in *ει* utuntur, velut *εἶπον*, *εἰχόμην*, *εἱπόμην* aut augmento. quod syllabicum vocant, ante vocalem initialem velut *ἐώθουν*, *ἐωνούμην*, prius aut digamma aut s consonam initialem praebuerunt, id quod cum aliis dialectis tum linguis propinquis comparatis facile intelligi potest; *ἕπομαι* igitur ad radicem *σεπ*-, *ἔχω* ad *σεχ*-, *εἰπεῖν* ad *Fεπ*-, ceterae voces ad similes radices referendae sunt. Plerumque vero consona illa initialis sine ullo vestigio, in lingua vulgari quidem evanuit, cum apud Homerum vis ejus interdum appareat, idque suo jure, cum poëtae, imprimis epico, formae suppeterent priorum temporum, ubi debilitatio formarum minus valebat. Sed profecto difficillima est dijudicatio, ad quae loca vis prioris consoane, ad quae sola peculiaris pronunciatio consonarum liquidarum referenda sit. In quibusdam sane verbis demonstrari potest, suo jure consonam initialem in flexione vel compositione geminari, cum prius altera consona in initio vocis exstiterit; velut vocis *μείρομαι* prima forma erat *σμείρομαι*, id quod jam perfectum *εἵμαρται* significat (*σε-σμαρται*, — *ἕ-ςμαρται*, — *εἵ-μαρται*

adhibita extensione compensante). Rectissime igitur Homerus forma ἔμμορε (*Α* 278, *Ο* 189, saepius) usus est; eadem ratione probandae sunt formae ἔσσευα, ἔσσυμαι, ἐσσεύοντο, aliae id genus (*Λ* 167. 419. 540. *Ν* 79, saepius), nam in initio hujus verbi exstitit quondam *σF* (cf. Benfey l. l. I. p. 397). Similiter *σFέjω* vel *σFείω* quondam pro σείω, γλεύω pro λεύω, γλεαίνω pro λεαίνω, *Fρέζω* pro ῥέζω, *Fρήγνυμι* pro ῥήγνυμι, alia id genus exstitisse et hanc ob rem formas velut ἔσσειον, ἔλλευον, ἔῤῥεζον excusandas esse. demonstrari potest. In plurimarum vero vocum initio a liquida inchoatarum non alteram consonam fuisse satis constat, velut in λαμβάνω, λείπω, λείβω, μανθάνω, μένω, multis aliis; hic igitur geminatio consonae, quam omnes libri praebent, velut in ἔλλαβον, ἔλλιπον, ἔμμαθον, assimilatione consonae prioris excusari non potest. Ad peculiarem potius liquidarum naturam hic regediendum est, cum eae primae omnium in consonarum durantium numero ducendae sint. Et jam quaerere possis, num in horum verborum formis velut ἔλλαβον, ἔλλιπον, ἴμμενει, (*Υ* 365), ceteris recte liquida geminata scripta sit. Equidem puto, non sane ad etymologiam rectam hanc scribendi rationem esse, attamen ea de causa probandam, quod liquida si extenditur in pronunciatione, vix aliter nisi tamquam duplex consona enunciari possit. Quamvis igitur grammatici inscii et metri tantum tuendi causa in talibus formis liquidam geminatam scripserint ad analogiam aliarum formarum, tamen non rejicienda est haec scriptura, qua oculis quoque lectoris causa productionis significatur. Sed iterum iterumque commemorandum puto, duplicem rationem habendam esse illarum formarum apud Homerum, cum partem earum sane prior consona, partem facultas extendendi liquidas effecerit; cujus alterius causae exempla clarissima afferam *Φ* 318 κεῖσθ' ὑπ ἰλύος et *Ε* 487 λίνου ἁλόντε.

Ceterum non alienum hic erit, in universum paucis de eis formis dicere, quae discrepantes a posterioris linguae consuetudine duplicem consonam apud Homerum praebent et hac de causa ad productiones hic tractatas spectant. Eadem vero ratio, quae ad illas voces, quas supra protuli, velut ζειά, αὖλαξ, ἠείδη, πύληος pertinebat, ad has quoque formas cum duplicata consona spectat. Nituntur enim usitatis linguae, im-

primis Jonicae et Aeolicae dialecti, legibus et hanc ob rem ne minimum quidem offensionis offerunt. Primaria lex, quae huc afferenda est, est ratio assimilationis, qua consona vel vocalis ι et υ adaequatur cum proxima consona. Nonnullis exemplis allatis prorsus perspicua erunt varia hujus assimilationis genera. Ἀδδεής, περιδδείσασα, ἔδδεισα, alia id genus explicantur stirpe δjι vel δjε vel δjει, quae statuenda est (cf. Curtius l. l. Nr. 268); πολλός exstat pro πολϜὸς, φιλομμειδής pro φιλοσμειδής (cf. Curtius l. l. Nr. 463), ποσσὶ pro ποδ-σὶ, πόδεσσι pro πόδ-ε-σϜι, βελέεσσι pro βελέ-ε-σϜι, χαρίεσσα pro χαρίετjα, ἔμμεναι pro ἔσ-μεναι; similiter μέσσος pro μέθ-jος, multa similia se habent, cum τj, θj, κj, χj in σσ transirent (Curtius l. l. II. 233—237). — Neque eadem de causa dubito, quin M 26 scribendum sit συννεχές, cum pro συνσεχές exstet.

In priore igitur lingua et quodammodo etiam apud Homerum illa altera consona in talibus vocibus et formis valuit, postea vero plerumque sine ullo vestigio evanuit, id quod satis explicatur vulgari formarum debilitatione.

Ad eandem hanc explicandi rationem mihi quaestio quoque referenda videtur, quae maximo momento est, quomodo enim explicanda sit productio, quae sexcenties invenitur, primae syllabae vocum ὅσος, πρόσω, ὅτι, ὅτε, ὁπόσος, ὁπότε, ὁποῖος, ὅπου, ὅπως aliarum id genus. Apparet, poëtae jus potestatemque hujus rei fuisse, secundum ea, quae in prooemio hujus dissertationis commemoravi de inusitatis et lingua ipsa non confirmatis novationibus. Hic quoque ad originem illarum vocum redire debemus. Quod si facimus formas principales statuendas esse ὅππως, ὅσσος cetera, comparatio cum propinquis linguis clarissime demonstrat. Radix enim pronominis interrogativi est πο- et in recentiore Jonum dialecto κο-, vel potius πϜο et κϜο, nam respondens forma in lingua Sanscrita est kva, in Latina quo-d, in Gothica hva (cf. Curtius l. l. Nr. 631). Digamma igitur prius fuisse in his vocibus, quae a πο- descendunt, statuendum est et hujus consonae vis in formis illis cum geminato π conservata est. Ita igitur ὅππως, ὁππότε, οππὸσος, ὅππου, ὅπποι propinqua probanda sunt. Simili ratione formae ὅττι, ὅττε primitiva vocum stirpe τjι vel κjι ex-

plicandae sunt (Curtius l. l. Nr. 650), ita ut re vera ὅτjι, ὅτjε et tum assimilata consona j ὅττι, ὅττε primum exstarent. Neque aliter πρόσσω et ὅσσος explicanda sunt, πρόσσω enim e stirpe προ-τjο ortum est (Curtius Nr. 380), ὅσσος ex ὁ-τjο; τj enim usitatissima sonorum mutatione in σσ transiit, quod permultis exemplis confirmari potest. Procul dubio igitur ὅππως, ὅσσος cetera formae principales, ὅπως, ὅσος ex eis debilitatae sunt. Utique posterioribus temporibus hoc ita constitutum est, ut voces illae, ubi a poëta prior forma adhibebatur, ubi igitur cum longa penultima exstant, cum geminata consona scriberentur. Nam ut supra jam commemoravi, transcriptis carminibus Homericis ita corrupto metro mederi studebant, ut si longa syllaba opus erat, aut consona subsequens duplicaretur aut longa vocalis vel diphthongus propinqua substitueretur. Subinde quidem falsum remedium adhibebatur, plerumque vero, velut in productionibus modo commemoratis, ubi extensionem syllabae geminatione consonae significabant, sive consulto sive inscii rectum praestiterunt.

Singulares denique productiones restant, quas re vera licentiam poëticam, quamvis satis firmatam, habere possis. Exstant enim in eis vocibus, quae multis brevibus syllabis continentur, ita ut amissa hac libertate a poëta epico adhiberi non possent. Poëta igitur hic metri necessitati aliquid concedere debet, sed hic quoque non plane pro arbitrio; quamvis enim jam ipsa necessitudo, aut has voces easque usitatissimas omnino omitteudi aut inusitate adhibendi, hanc libertatem fortasse excusare possit, tamen poëtam censuisse plus excusationis necesse esse ad probandam productionem, clarissime apparet. Semper enim ictus metricus affertur, ita ut vocum illarum producta syllaba nunquam nisi in arsi inveniatur, et praeterea hic quoque eae tantum vocales ita adhibentur, quas natura quasi magis ad ancipitem mensuram inclinare supra demonstravi. Loca, quae huc spectant, sunt *Γ* 313, *Ο* 305, *Ω* 330 ἀπονέοντο *Ξ* 46 ἀπονέεσθαι (et similiter, ubicunque verbi ἀπονέεσθαι forma exstat) *Β* 337 ἀγοράασθε, *Ε* 763 ἀποδίωμαι *Λ* 823 (et ubicunque praeterea haec vox exstat), Διογενὲς *Β* 817, *Δ* 489 et saepissime Πριαμίδης, *Ζ* 290 Σιδονίων.

Creberrime ita α, quod dicunt privativum, producitur,

veluti in ἀκάματος, ἀθάνατος, idque profecto suo jure, cum ad causam modo explicatam altera accedat eaque multo gravior. Omnino enim maxime offendit, quod, si ἀ recta forma hujus particulae negativae esset, ante consonas semper forma ἀν invenitur, et ab initio verisimile est, primam formam potius ἀν, alteram vero debilitatam esse atque hoc ex comparatione aliarum linguarum et ex ipsa Graeca lingua certissime demonstrari potest. In productionibus vero modo commemoratis eadem haec prima forma vel vis illius consonae ν se manifestat. Nam proficisci debemus a formis ἀνκάματος, ἀνθάνατος aliis, quae postea debilitatae sunt in ἀκάματος, ἀθάνατος. Et jam duplex ratio statui potest. Nam consona ν evanescere potuit ita ut antecedens vocalis ad compensandam jacturam extenderetur vel certe producendi facultas relinqueretur poetae. Fortasse vero etiam Homerus ipsis illis prioribus formis usus est in certis quidem vocibus, ubi minus offendit conjunctio illius ν cum subsequenti consona idque firmari videtur vocibus ἀννέφελος et ἄλλοφος, ubi re vera illud ν aut integrum aut assimilatum ad λ traditum est. Utique vero, sive statuimus, Homero illis vocibus ἀνθάνατος, ἀνκάματος aliis uti licuisse, sive α productum esse extensione compensante jacturam consonae ν, — quis vero hanc rem dijudicare possit — optime probantur productiones *E* 4 ἀκάματον πῦρ (item *O* 598. 731, *Π* 122, *Σ* 225, *Φ* 13. 341, *Ψ* 52), *Γ* 158 et saepissime ἀθάνατος, *K* 258 ἄλλοφος. —

II. De productione syllabarum, quae in mediis vocibus exstant.

Maxima ex parte huc eaedem causae spectant, quas jam ad explicandas productiones prioris generis proposui; plerumque igitur hic satis erit, singula exempla in genera redacta affere. Primum vocem commemorem, quae re vera ancipitem mensuram praestat, μυρίκη, quod plerumque quidem breve ι exhibet, longum vero *Φ* 350 ἠδὲ μυρῖκαι, *Z* 39 βλαφθέντε μυρικίνῳ, ἄγκυλον -, et semper etiam in propinquis vocibus haec duplex mensura exstat, velut in μυρικίνεος, μυρικώδης. —

In parte exemplorum productio digammate Homeri tempore nondum extrito probari potest. Huc spectant *T* 35 *ἀποFειπὼν* *Φ* 283 *ἀποFέρσει* 329 *ἀποFέρσειε*. Ante unam igitur consonam eamque non firmiorem hic vocalis producitur, quod primo obtutu fortasse offendat. Equidem non dubito, ad singularem digammatis pronunciationem hic refugere, cum haec consona ad illas pertineat, quas rectissime durantes vocari supra exposui, quod facile cognoscas enunciatione ipsius hujus consonae. Eadem igitur ratio ad hanc productionem spectat, quae ad illam in *ἔλιπον ἔμαθον, ἔλαβον*. Dubitare vero possumus, utrum productio in voce *ὀλοὸς* (*Λ* 342 *ὀλοῇσι* et *X* 5 *ὀλοῇ*) digammatis natura explicanda, an altera forma *ὀλοιὸς* substituenda sit. *Ὀλοϝὸς* enim prima forma ejus erat, ex ea vero eadem ratione, qua ex *πνοFὴ πνοιὴ*, ex *ἀγνοFὴ ἀγνοιὴ*, *ὀλοιή* oriri potuit. Et sane hanc formam saepius in libris nostris invenimus, velut h. Hom. Ven. 225 et in *ὀλοίτροχος* vel *ὀλοοίτροχος* *N* 137 (cf. *ὀλώϊος* Hes. *Θ*. 591). In hac quidem re non magna est codicum fides, ut saepius jam vidimus et hoc etiam inconstantia demonstrat, qua tum *ὀλοὸς*, tum *ὀλοιὸς* eadem quantitatis conditione scriptum exstat, attamen propter analogiam aliarum vocum, velut *ἀγνοιή*, *ποίη*, et imprimis propter formas harum vocum in aliis dialectis statuendum est, mature jam digamma illarum vocum in *ι* transiisse, ita ut apud Homerum productio alterius *ο* in *ὀλοὸς* non digammatis enunciatione, sed substituta diphthongo *οι* explicanda sit. Rectius igitur *Λ* 342 et *X* 5 *ὀλοιῇσι* et *ὀλοιῇ* scribendum est.

Haud raro in hoc quoque genere productio ante liquidas invenitur, ubi idem valet, quod supra de ejusmodi productionibus dixi, cum ante liquidas extensio vocalis probetur tum peculiari pronunciatione liquidarum, tum vi consonae alicujus prioris, quae epicum poëtam adjuvit. Ceterum jam commemoravi, hic inconstantiam grammaticorum veterum in perscribendis carminibus apparere; nam cum liquidam initialem praefixa brevi vocali in flexione vel compositione semper fere geminatam scribant, in mediis vocibus libri plerumque simplicem liquidam praebent. Sed hic quoque ubique liquidam geminatam scribendam, semper tamen obtinendum esse existimo, partim hanc geminationem propter etymologiam vel propter

consonam priorem, partim oculis tantum lectoris fieri, ut hic statim intelligat, quo modo productio syllabae instituenda sit. Hujus generis sunt *Γ* 424 *E* 375 *Ξ* 211 *Y* 40 φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη pro φιλοσμειδής, *K* 572 ἀπεννίζοντο pro ἀπεσνίζοντο, *Π* 145 ζεύγνυμμεν *N* 682 εἰρύμμεναι *O* 31 ἵν' ἀπολλήξῃς ἀπατάων, alia.

Permultae voces ad hujus generis productiones pertinent, quae ι extensum praebent. Quod tam saepe fit, ut profecto putare possis, vocalem ι in quibusdam quidem verbis et formis ancipitem fuisse. Huc spectat imprimis ι dativi tertiae declinationis. Et sane nonnullarum vocum dativum, cum e contractione ortus sit, per se produci clarissimum est, dico dativos μήτι, κνήστι, μήνι, μάστι. (cf. de eis Eustath. ad *Λ* 640. p. 871 et Drac. de Metr. p. 46.) Haud prorsus alienam rationem sequitur dativus nominis Ζεύς, cujus forma in nostris libris ubique est Διΐ. Sed altera forma Homerum saepius usum esse, clarissime apparet. Duplex enim stirps huic voci erat et ΔιF- et firmior Δjευ- (cf. Curtius I. l. Nr. 269 et II. p. 189). A Δjευ- vel Διευ- descendit nominativus Διεὺ-ς, cujus dativus erat Διέ-ϊ et per contractionem Διεῖ. Hoc Διεῖ igitur substituendum esse puto, ubicunque in nostris libris Διΐ cum producto posteriore ι exstat, veluti *Π* 174 Διιπετέος ποταμοῖο (item *P* 263, *Φ* 268. 326, saepius), *A* 74. 86 et saepius Διΐφιλος *B* 136. 636, *H* 47 Διΐ μῆτιν *B* 781 Διΐ ὥς, alia id genus.

Sed fortasse quispiam existimet, aliarum quoque vocum dativum in longum ι desinere. Et sane hic analogiam propinquarum linguarum affere licet. Prima enim forma terminationis dativi erat αι; certe hoc conjici potest, si ad linguam Indo-Germanicum redimus. Quae terminatio usitatis sonorum legibus in Graeca lingua in ει, tum in longam vocalem ι transiit. Denique vero dativus cum locativo, quem vocant, conglutinatus est, et ita quidem, ut mixto quasi casui terminatio locativi, breve ι, tribueretur. Quod Sanscrita lingua confirmatur, ubi i idque longum terminatio dativi exstat; neque minus Latina lingua, ubi dativus eodem modo cum longa vocali i invenitur cum locativus in breve i terminetur, id quod velut locativus ruri, contrarius dativo rurī demonstrat. Attamen ne audacius

2 *

concludere videamur, non pro certa proponam hanc explicationem, qua Homerus prioribus illis dativis cum longo *ι* usus sit. Obstat enim ei, quod conglutinatio illa dativi cum locativo jam maturrime evenisse videtur et hanc ob rem nimis offensionis praebeat, si Homero antiquissimam dativi formam cum longo *ι* asscribimus. Fortasse illae productiones potius natura vocalis *ι* excusandae sunt, quod *ι*, cum acutissima et hac de causa firmissima sit vocalis, quae haud raro etiam consonae pondus praebet, quod *ι* igitur minus offendit, si pro longa vocali exstat. Eadem de causa etiam saepissime vocalis *ι* elisione non afficitur, quin etiam haud ita paucae voces in *ι* desinentes nec elisionem nec crasin omnino patiuntur, velut *τί* et *τὶ*, praepositio *περὶ*, *ὅτι*: similiter quoque *ἀντί*, *ἀμφί*, *προτί*, *ποτί*, *ἐπί*, *ἐνί* se habent, quamvis in universum concedendum sit, ex parte poëtam perspicuitatis causa in his vocabulis hiatum non vitavisse. Praeterea aliae quoque sunt rationes, quibus firmitas vocalis *ι* satis apparet, de quibus Hoffmannus in Quaest. Hom. paragraphis 61 — 65 diserte egit. Excusatae igitur mihi quidem videntur productiones *B* 830, *E* 612 *Ἄμφιος*, *B* 622, *Δ* 517, *P* 429 *Διώρης*, *Ψ* 792 *ποσσίν ἐριδήσασθαι* *P* 53 *ἔρνος ἐριθηλὲς*, imprimis vero permultae productiones tertii generis, quas tamen hic jam enumerem, ut continuo hanc rem perficiam. Cujus generis sunt *P* 152 *πτόλεϊ τε* *Δ* 156 *πατέρι δὲ* *H* 142 *φοίνικι βάλε* *B* 116 et saepius *ὑπερμενέϊ φίλον* *Ω* 119. 176 *Ἀχιλλῆϊ φερέμεν* *Ψ* 244 *Ἄϊδι κεύθωμαι* *Y* 434 *ὅτι σὺ μέν*. Ceterum non omittendum est, semper ad producendum *ι* ictum metricum accedere momentum adjuvans. Ad permulta denique loca praeter singularem vocalis *ι* naturam ratio afferenda est, quam idoneam esse ad explicandam productionem supra jam exposui, dico necessitudinem aut voces easque usitatissimas omnino omittendi aut paullo mutata quantitate adhibendi. Cujus generis sunt voces quaedam, in quibus aut nimiae breves syllabae sunt aut brevis syllaba cincta est pluribus longis, imprimis nomina in *ια* terminata. In ejusmodi productionum numero ducenda sunt *A* 205 *ὑπεροπλίῃσι* *I* 73 *ὑποδεξίη* *O* 66 et saepius *Ἴλιον*, *X* 313 *ἄγριον* *I* 440 et saepius *ὁμοιΐου πολέμοιο* *Φ* 169 *ἰθυπτίωνα* *Λ* 697 *τριηκόσι' ἠδὲ* *B* 588 *προθυμίῃσιν*, 573 *Ὑπερησίην*, 731 *Ἀσκληπιοῦ* *O* 554 *ἀνεψιοῦ*. Prae-

terea ad eandem rationem spectant nonnullae productiones, ubi non tamen simul vocalis *ι* firmitas adjuvat. Minus quidem notabilis est productio *B* 818 *μεμαότες* *N* 197 *μεμαότε* et *T* 164 *μενοινάᾳ*, quod *α* quoque natura quodammodo magis ad ancipitem mensuram inclinat. Offendere vero fortasse possit, quod in vocibus quibusdam distractis, quae dicuntur, pro formis vulgari modo distractis, aliae minus usitatae exstant, cum vocalis in eis extensa o sit. Cujus generis sunt *ἡβώοιμι*, *ἡβώοντες*, *ἡβώωσα* pro *ἡβόοιμι*, *ἡβόοντες*, *ἡβόωσα* (*H* 157 *Λ* 670 *Ψ* 629 *I* 466 *Ω* 604), *μνώοντο*, *μνωόμεος* pro *μνόοντο*, *μνοόμενος* (*Λ* 71 *Π* 697. 771), (in Odyssea eadem ratione *δρώοιμι* pro *δρῷμι* vel *δρόοιμι* invenitur *O* 317 et 324), denique similiter se habent casus participii *μεμαώς*, cum pro *μεμαότος*, *μεμαότες*, cetera *μεμαῶτος*, *μεμαῶτες*, *μεμαῶτα* ab Homero adhibeatur (*O* 298. 604, *P* 181, *Θ* 118, *N* 317 et saepissime). Hujusmodi productiones igitur re vera prorsus respondent supra enumeratis *μεμαότες*, *ὁμοιΐου*, *ὑποδεξίη*, *ἀπονέεσθαι*, nisi quod apud illas variationem quantitatis etiam scriptura exprimere licuit. In priore vero alphabeto haec quoque differentia proponi non potuit, ubi eodem modo *ε* et *ο* pro *η* et *ω* exstiterunt, quo *α*, *ι*, *υ* pro brevibus et longis vocalibus a, i, u. Sane in exemplis novissimis major est libertas, quam in supra tractatis, nam similibus conditionibus vocales *α*, *ι*, *υ* tantum ad mutandam quantitatem inclinare, saepius jam vidimus; praevalebat igitur hic metri urgentis necessitas, aut formas velut *μεμαότες*, *ἡβοῶσα*, prorsus omittendi aut mutata quantitate offerendi.

Denique plane pro arbitrio a poëta factum videtur, si tum *Ἀχιλεύς* et *Ὀδυσεύς*, tum *Ἀχιλλεύς* et *Ὀδυσσεύς* exhibet, cum in posteriore lingua plenior tantum forma exstet et eadem hac re illae voces a cunctis discrepant, quae primo obtutu prorsus similiter se habere videntur, velut *ἔλλιπον* et *ἔλιπον*, *φιλομμειδής* et *φιλομειδής*, *ὅππως* et *ὅπως*. De debilitatione justa igitur hic non cogitandum esse fortasse quispiam dicat, attamen re vera illas voces hanc rationem, quamvis paullulum moderatam, sequi, mihi quidem persuasum est. Primae enim formae statuendae sunt *Ὀδυσσεύς* et *Ἀχιλλεύς*; nam vox *Ὀδυσσεύς* a radice dvis —, id est odisse, descendit, quae radix in *ὀδύσσομαι*

pro ὀδύσ-jομαι apparet, et Ὀδυσσεὺς igitur vere significat valde iratus (cf. Benfey Wurzellex. II. p. 223). Minus vero patet etymologia nominis Ἀχιλλεὺς. Nam quae scholiasta ad Il. *A* 1 dicit, non flocci pendendum esse, clarissimum est. Quae tamen recta sit explicatio nominis, equidem dicere non possum; maxime vero mihi persuasum est, propter analogiam aliarum vocum Ἀχιλλεὺς primam formam statuendam esse. Principales igitur hae formae Ὀδυσσεὺς et Ἀιλλεὺς sensim in Ὀδυσεὺς et Ἀχιλεὺς debilitatae sunt, quare item inter se cohaerent, quemadmodum ὅππως, ὅσσος et ὅπως, ὅσος. Propterea vero hae voces singulares sunt, quod in recentiorem linguam non debilitata, sed firmior forma recepta est. Ut paucis dicam, principium quidem idem sequuntur atque ὅππως, ὅσσος alia, principium debilitationis, sed debilitationis quae ad certum tantum tempus spectabat, nimirum ad aetatem Homeri; pleniores vero formae procul dubio propterea in posteriorem linguam transierunt, quod apud antiquiores poëtas, imprimis apud ipsum Homerum, saepius inveniebantur, quam debilitatae. Rectissime igitur Ἀχιλλεύς et Ὀδυσσεύς exstant *A* 121. 215. 292. 311. 430. *B* 173, permultis aliis locis.

III. De productione syllabarum finalium.

Ad multo gravissimam totius quaestionis partem jam pervenio, cum et plurimae productiones ad eam pertineant et omnino hic studium maxime incitetur. Interdum quidem huc quoque causae, quae ad priora productionum genera spectabant, afferendae sunt, plerumque vero syllabae extensio prorsus novis causis explicanda est. Commodioris conspectus causa cuncta hujus generis exempla in tres partes divisa proferam, prout syllaba finalis producitur desinens aut in literam consonam ante vocem a vocali inchoatam aut in vocalem insequenti voce a consona inchoante, aut in vocalem voce proxima a vocali ordiente. Quorum nimirum in primo genere minime offendimus, cum syllaba in literam consonam desinens ipsa aliquid ponderis habeat, certe plus, quam syllaba, quae in vocalem termi-

natur. Deinceps has tres partes perlustraturus causasque indagaturus, quibus, quae in eis continentur productiones, satis probari possint, a firmiore illa prima parte initium capiam.

A. De productione syllabarum in consonam terminatarum ante vocalem.

Primam explicandae productionis causam hic vim caesurarum quarundam dico, earum, quae re vera pausam in relatu efficiunt; pertinent huc caesurae majores, quae dicuntur semiquinaria et semiseptenaria, ad quas accedit caesura semiternaria. Non igitur omittendum est, eas tantum caesuras huc spectare, quarum vis una cum arseos pondere conveniat; arsin enim non quidem per se ad syllabam producendam valere, sed plerumque momentum adjuvans addi, saepius jam vidimus. Ceterum ne conjunctum quidem caesurae et arseos pondus interdum satis fecisse videtur poëtae, cum haud raro aliud quoddam momentum accedat, velut interpunctio aut consonae alicujus extritae vis, quamvis sane dubitare possis, utrum haec momenta consulto addita sint a poëta an casu aliquo conjuncta cum caesura exstent. Utique vero, sive hoc sive illud statuimus, semper caesura primaria est productionis causa. cum saepius etiam sola productionem efficiat idque suo jure; nam caesura quid est, nisi statio quasi vocis, qua temporis aliquid consumitur? Hoc spatium nimirum novissimae syllabae commodo est, quae hac de causa satis superque extenditur, ut suo jure etiam brevissima pro longa syllaba exstare possit.

a) Vi caesurae semiquinariae solius excusatur productio *B* 24 *Γ* 248 *Δ* 76 *E* 385 *Z* 299 *Λ* 219. 371. 427. 582 *N* 368 *Ξ* 473 *Π* 716 *X* 482 *Ψ* 89 *Φ* 558 542.

b) Vi caesurae semiseptenariae solius excusatur productio *Γ* 24. 103 *Θ* 248. 359 *Ξ* 503 *O* 271 *P* 582 *Y* 72 *X* 282.

c) Vi caesurae semiternariae solius excusatur productio *B* 39. 233, *Γ* 40, *E* 462. 499, *Z* 366. 501, *H* 77, *Σ* 591, *Y* 243, *X* 198, *Ψ* 603, *P* 730, *Ω* 295. — Ceterum monendum mihi hic videtur, plurimis locis praeter hanc caesuram in versu caesuram trochaicam pedis tertii exstare, perraro vero

caesuram semiseptenariam, idque rectissime. nam caesura semiternaria ante caesuram illam multo majorem vim habet, quam ante hanc, quod in versus recitatione facile cognoscas. Perraro igitur, duobus tantum locis, nisi fallor, caesura semiseptenaria accedit *Γ* 40 *εἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι* et *E* 499 *ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς*. Versus vero, in quibus caes. semiquinariam accedere Hoffmannus existimat, *Π* 269 *Μυρμιδόνες, ἕταροι Πηληιάδεω Ἀχιλῆος* et *Ω* 193 *ἐς δ' ἄλοχον Ἑκάβην ἐκαλέσσατο, φώνησέν τε*-, huc non pertinent, quod et *ἕταρος* et *Ἑκάβη* digamma apud Homerum habuisse videntur, de qua re infra agam.

Fortasse vis consonae alicujus prioris accedit

a) ad caesuram semiquinariam *Δ* 226 *πόλεμον ἅμα* *B* 165. 181 *νῆας ἅλαδε* *Γ* 329 *H* 355 *Θ* 82 *Λ* 369. 505 *N* 766 *Ἀλέξανδρος Ἑλένης* *Λ* 376 *μὲν ἅλιον* 776 *βοὸς ἕπετον* *Y* 145 *ἀμφίχυτον Ἡρακλῆος* *Φ* 363 *μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος* *Ω* 47 *κασίγνητον ὁμογάστριον* *Ω* 84 *ὁμηγερέες ἅλιαι* 604 *θυγατέρες* *ἕξ* *Λ* 342 *γὰρ ὅ* 527 *ἀτελεύτητον ὅτι* *Λ* 674 *ἐλαυνόμενος. ὅ* *M* 288 *Τρῶας, αἵ* *Ξ* 349 *μαλακόν, ὅς* *Π* 192 *ἀμφαγαπαζόμενος, ὡςεὶ* 709 *Ἀχιλῆος, ὅς* *P* 109 *ἐντροπαλιζόμενος ὡς* 135 *ἐπακτῆρες· ὅ* 496 *ἔπορον· ὅ* *Σ* 580 *ἐρύγμηλον ἐχέτην* *Φ* 118 *ἄμφηκες· ὅ* *X* 481 *αἰνόμορον· ὡς.* *Ψ* 779 *φθάμενος· ὅ* *Ω* 758 *ἴκελος, ὅν.*

b) ad caesuram semiseptenariam *K* 264 *θαμέες ἔχον* *T* 49 *γὰρ ἔχον* *X* 412 *μόγις ἔχον* *Ω* 544 *μάκαρος ἕδος* *Λ* 51, *Δ* 129 *βέλος ἐχεπευκὲς* *K* 540 *ἔπος ὅτε* *Ω* 470 *λίπεν ὅ* *Θ* 406 *ὅτ' ἄνῳ.*

c) ad caesuram semiternariam *B* 745. 822, *Ω* 573 *οἶος ἅμα* *H* 173 *αὐτὸς ὃν θυμὸν* *I* 220 *Πάτροκλον, ὃν ἑταῖρον* *Δ* 244 *χωόμενος ὅ* *E* 480 *ἴσαν, ὡσεὶ* *H* 416 *Ἰδαῖος· ὅ* *K* 7 *νιφετὸν, ὅτε* *Y* 45 *δειδιότας, ὅτε* *X* 22 *σευάμενος ὡς* *Ω* 736 *χωόμενος ὧ* *Λ* 783 *μένῳ.*

In initio vocum, quae hic syllabam productam sequuntur, sane quondam consonam aliquam exstitisse, e comparatione cum aliis dialectis et cum propinquis linguis clarissime demonstrari potest. (cf. imprimis Curtium l. l. et Benfejum l. l.)

Quaerendum igitur jam esset, num re vera haec consona initialis apud Homerum valuerit ad versum componendum. Quod

tamen infra aptior est locus, ubi omnino de consonis in initio vocum extritis disseram, hic satis sit, loca, quae huc spectant, separatim protulisse, ut infra certo ordine et ratione instituta videamus, num haec consona ad explicandam productionem re vera afferri possit. —

Interpunctio quoque momentum adjuvans haud raro accedere videtur.

a) ad caesuram semiquinariam *A* 153 491 535 *B* 71 228 449 539 (item 504), 585 734 736 (item *H* 167 *Θ* 265) *Γ* 35 381 *Δ* 76 *E* 287 485 *Z* 76 *H* 31 *Θ* 158 144 *Λ* 40 547 630 68 674 *M* 261 270 288 *N* 309 587 *Ξ* 11 *P* 42 104 135 196 *Σ* 224 347 *T* 367 400 *Y* 468 *Φ* 118 *X* 352 513 *Ψ* 511 731 779 *Ω* 269 285 467.

b) ad caesuram semiseptenariam *A* 19 *Γ* 103 *H* 418 *Λ* 711 *Π* 592 *Y* 72 *Ω* 470.

c) ad caesuram semiternariam *E* 359 *Z* 240 *H* 206 232 *H* 389 416 *Σ* 238 591 *Φ* 474 *X* 198 *Ω* 88.

Hic igitur et in versus decursu et in sententia quasi pausa exstat. Attamen magis casu aliquo, quam certo consilio poëtae interpunctionem ad caesuram accessisse existimem, nam plerumque in caesura vel diaeresi intermissio sententiae fit, id quod saepenumero primariam caesuram significat. Certe caesura multo gravior causa in explicanda productione habenda est, interpunctio magis fortuita.

Denique nonnulla loca exstant, quae primo obtutu ad caesurae vim modo tractatam referenda videntur; sed ea omnino a productionibus recedere mihi quidem persuasum est. Primum huc spectat *Σ* 168 *Διός ἄλλων*: ad nominativum enim supra jam explicatum *Διεύς* hic regrediendum puto, cujus genitivus nimirum *Διέως* erat et hanc formam *Σ* 168 substituere equidem non dubito. — Tum in quibusdam versibus alia eaque meliore lectione metro optime mederi possumus. Igitur *Λ* 151 cum Bekkero lego *ἱππῆες δ' ἱππῆας — ὑπό σφισι δ' ὦρτο κονίη* (cum *ἱππεῖς* mutatur in *ἱππῆες*), *P* 403 Harleiano duce et Spitznero probante *πολλὸν γάρ ῥ' ἀπάνευθε νεῶν μαρναντο θοάων*, *E* 874 Aristarcho auctore *ἀλλήλων ἰότητι, χάριν δ' ἄνδρεσσι φέροντες* (interjecto *δέ*), *P* 65 *δηῶν· ἀμφὶδὲ τόνγε κύνες τ' ἄνδρες τε νομῆες* (secutus codices nonnullos et propter analo-

giam). — Tertio loco vocativi nonnulli commemorandi sunt. Substituendus hic mihi quidem pro vocativo nominativus videtur, id quod ne minime quidem offendere potest analogiae ratione habita; lego igitur *Φ* 474 *νηπύτιος, τί νυ* (pro *νηπύτιε* quamvis fortasse hic caesura ipsa productionem probare possit), et similiter *Δ* 338 *ὦ υἱὸς Πετεῶο* (pro *υἱέ*) *Ξ* 375 *Ποσειδάων, ἐπάμυνε* (pro *Ποσείδαον*), *Θ* 471, *Ο* 49 *Σ* 357 *βοῶπις πότνια Ἥρη*. — In ancipitum denique syllabarum numero fortasse ducendae sunt, quae productae videntur *Δ* 440 *Ἔρις, ἄμοτον* *Ε* 874 *χάριν ἄνδρεσσι* *Ζ* 495 *ἵππουριν ἄλογος* *Ν* 511 *Ξ* 622 *Π* 560 *ὤμοιιν ἀφελέσθαι* *Ξ* 423 *οὔτις ἐδυνήσατο* (ubi minus recte Bekkerus legit *ἀλλ' οὔτις Fε δυνήσατο ποίμενα λαῶν Οὐτάσαι*) *Π* 57 *πόλιν εὐτείχεα* 69 *πόλις ἐπὶ* *Ρ* 54 *ἅλις ἀναβέβροχεν* *Χ* 492, 499 *παῖς ἐς* *Κ* 281 *πάλιν, ἐπὶ* *Δ* 492 *νέκυν ἑτέρωσε* *Ν* 705 *πολὺς ἀνακηκίει* *Ρ* 520 *πέλεκυν αἰζήιος* 692 (item *Η* 84) *νέκυν ἐπὶ* 724 *νέκυν αἴροντας* *Σ* 180 *νέκυς ᾐσχυμμένος* *Υ* 239 *Κάπυν, ὃ* *Χ* 386 *νέκυς ἄκλαυτος* *Ψ* 110 *νέκυν ἐλεεινόν*. Haec quidem omnia exempla optime explicari possunt caesurae pondere, sed alia exstant, ubi earundem syllabarum productionem eamque plerumque in thesi hoc auxilio probare non licet, cujus generis sunt: *Β* 143 *πληθὺν ὅσοι* 278 *πληθὺς ἀνὰ* 826 *Φόρκυς αὖ* *Ζ* 78 *ἰθὺν ἔστε* *Η* 164 et saepius *θοῦριν ἐπιειμένοι* *Δ* 305 *πληθὺν· ὡς* *Ο* 305 *πληθὺς ἐπὶ* *Ρ* 31 *Υ* 197 *ἐς πληθὺν ἰέναι* *Υ* 421 *ἀχλὺς οὐδ'* *Φ* 127 *ἰχθύς, ὅς* *Ψ* 622 *ἀκοντιστὺν ἐσδύσεαι* *Ζ* 152 *πόλις Ἐφύρη* *Ι* 323 *ὄρνις ἀπτῆσι* *Κ* 292 *βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον* *Λ* 36 *βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο* *Φ* 236, 344 *ἅλις ἔσαν* *Ψ* 313 *μῆτιν ἐμβάλλεο*. — Primum enim in universum monendum puto, summa cautione de iis syllabis judicari debere, quae ancipitesne sint dubitare possis. Quamvis enim Homeri aetate maxima ex parte certa mensura vocibus esset, tamen quodammodo jam tum ancipitatem valuisse, supra exposui. Hac varietate vero mensurae primum terminationes vocum affectas esse, maxime patet; ad quas pertinent in quibusdam certe vocibus terminationes - *ις*, - *ιν*, - *ις*, - *υς*. Etiam veteres grammatici longam mensuram illarum terminationum ex parte edocuerunt, quamvis non satis inter se congruant. Cf. Eustath. ad Od. *τ* 163 et *γ* 382 et *Κ* 292. Drac. de Metr. p. 30 et 32. Schol. ad *Ρ* 218.

Multa alia loca afferri possunt, quibus apparet, veterum grammaticorum judicium de his terminationibus fluctuasse. Statuendum esse de eis existimo, primum nominativum et accusativum eorum substantivorum, quae in *υς* desinentia sunt oxytona, semper longam syllabam finalem praebere, cum in genitivo vocalis *υ* corripiatur; saepe enim etiam in thesi illi casus producuntur, nunquam vero corripiuntur. Alia quoque ratione hoc probari potest; caesura in fine pedis quarti saepissime apud Homerum exstat; quotiescunque vero longa syllaba antecedit, ea natura, non positione longa esse solet ita ut recte quidem exstet *Τρώων χαλκοχιτώνων*, minus recte *Τρῶες χαλκοχιτῶνες* (cf. Giseke, Homerische Forschungen p. 145); igitur cum *Υ* 421 *ἀχλύς. οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη* et *Φ* 303 *ἰθύν· οὐδέ μιν ἔσχεν* legamus, recte terminatio *υς* et *υν* in longarum numero ducenda est. Tum terminatio *ις* (*ιδος*), quae saepius in thesi producta exstat, in femininis quidem est anceps; et cum ubique fere nominativus et accusativus concinant, terminationi *ιν* quoque haec mensura tribuenda est; eandem rationem sequitur *πάϊς*, cum generis sit utriusque. (cf. Hoffmannum l. l. p. 98—101). Omnino terminatio *ιν* ad ancipitatem inclinare videtur. Subinde enim etiam terminationem -*ι* apud Homerum vim longae vocalis habere supra vidimus; dubitari vero non potest, quin syllabae in consonam terminatae per se firmiores sint, quam syllabae, quae in vocalem solam desinunt. Profecto igitur non audacius esse puto, terminationem -*ιν* ancipitem habere, certe terminationem genitivi dualis, qui persaepe productus invenitur (*E* 13 *ἵπποιϊν, ὁ δὲ* *N* 511 *ὤμοιϊν ἀφελέσθαι*, *Π* 560 *ὤμοιϊν ἀφελοίμεθα* *T* 396 *ἐφ' ἵπποιϊν ἀνόρουσεν*). Eandem rationem etiam *K* 281 *ἐπὶ νῆας ἐϋκλεῖας ἀφικέσθαι* sequi existimo; nam terminationem *ας* accusativi pluralis in tertia declinatione pro longa syllaba adhiberi potuisse ab Homero, mihi quidem persuasum est. Prima enim forma hujus terminationis erat-*νς*, ita ut re vera *εὐκλεἰανς* germana forma statuenda sit; *ν* quidem postea evanuit, poëtae vero licuit *εὐκλεῖας* (accentum non curo) cum *α* ad compensandam jacturam exstenso adhibere. Denique ancipitem mensuram etiam *πρίν* et *πάλιν* praestitisse videntur; *πρίν* enim pro *προ-ιον* vel *προ-ιν* exstat (cf. Latinorum pris, id est pri-us vel

pro-ius, et primus pro pro-imus), unde jam sequitur, ut suo jure ab Homero producta adhibita sit, id quod affirmant multa loca ubi in thesi producitur (Z 81, I 403, Π 322. 840, saepius). Eodem procul dubio *πάλιν* pertinet, quamvis non satis constet de hac voce, cum in thesi non possit produci et plerumque, ubi producitur, vox a digammo inchoata subsequitur.

Praeterea permultae hujus generis productiones probantur digammo; cum vero jam satis constet, quantopere valuerit haec consona in versu componendo apud Homerum, hic non accuratius de singulis exemplis disseram, sed in universum tantum voces enumeraturus sum, quas digammo usos esse apud Homerum nemo fortasse negat. Cujus generis sunt *ἄγνυμι*, *ἅλις*, *ἁλῶναι*, *ἄναξ*, *ἁνδάνω*, *ἄρνα*, *ἄστυ*, *ἔαρ*, *ἕδνα*, *ἔθειρα*, *ἔθνος*, *εἴδω*, *εἴκοσι*, *εἴλω* et *ἀλῆναι*, *εἰπεῖν*, *εἴρω*, *ἑκὰς*, *ἕκαστος*, *ἕκηλος*, *ἕκητι*, *ἑκυρός*, *ἑκών*, *ἔλδομαι*, *ἑλίσσω*, *ἔλπω*, *ἕννυμι*, *ἔοικα*, *ἔργον*, *ἔργω*, *ἔρρω*, *ἐρύω*, *ἐσθής*, *ἕσπερος*, *ἔτης*, *ἔτος*, *ἐτώσιος*, *ἡδὺς*, *ἦθος*, *ἦκα*, *ἦρα*, *ἠχή*, *ἰαχή*, *Ἴλιος*, *ἴον*, *Ἶρις*, *ἴς*, *ἴσος*, *ἴτυς*, *ἶφι*, *οἶκος*, *οἶνος*, denique pronomen *ἕο* cunctaeque ei propinquae formae. Ut hoc nonnullis quidem exemplis illustrem, ea afferam, ubi Hoffmannus minus recte productionem solius caesurae pondere probari existimat, dico Τ 310 *δίφρον ἄρνας* Β 507 *πολυστάφυλον Ἄρνην* Ξ 79 *κεν ἐρυσαίμεθα* Ρ 161 *μιν ἐρυσαίμεθα* Ο 354 *ἔχον ἐρυσάρματας ἵππους* Ι 564 *μιν ἑκάεργος* Φ 236 *ἔσαν ἅλις* Φ 8 *ποταμον εἱλεῦντο*.

Praeterea vero voces quaedam exstant, quas digamma praestitisse fortasse minus conceditur; dico voces

Ὄψ. Derivatum est a radice *Fεπ-*, a qua etiam *ἔπος*, *εἶπον* (pro *ἔ-Fεπ-ον*), *ἐν-οπ-ή* derivata sunt et in lingua Latina vox, vocare, alia id genus. Conjiciendum igitur est, ab Homero pronuntiatum esse Ζ 222 *ἄϊον Fόπα*.

Αἱρεῖν. Consonam initialem hic fuisse conjiciendum est e forma aoristi *εἷλον* (pro *ἔ-Fελ-ον*) — nam radicis *Fαρ*, quae in *Fαιρεῖν* (*Fάρ-jειν*) statuenda est, altera forma erat *Fελ* mutato *α* in *ε* et *ρ* in *λ*, — tum, quod praeter *ἀφαιρεῖσθαι* (Α 182) *ἀποαιρεῖσθαι* invenitur (Α 230), denique propter formas *Fέλωρ* et *Fελώρια*, quas Α 4 *αὐτοὺς δὲ ἑλώρια* et Ε 684

μή δή με ἕλωρ exstitisse oportet. Σ 260 igitur re vera legendum est *νῆας Ϝαιρήσεμεν.*

Ἕταρος. Verisimile est, hanc vocem cohaerere cum *ἔτης*; spiritus eadem ratione variatur, qua in *ἵστωρ* et *ἰδ-*, multis aliis. *Ἔτης* vero digamma exhibuit, cum Z 239, Π 456. 674, H 295, I 417 hiatum efficiat et in inscriptione Elea cum hac consona scriptum sit (Corp. Inscr. Nr. 11). Explicata igitur videtur productio T 345 *ὀδυρόμενος ἕταρον* et Ψ 137 *ἀχνύμενος· ἕταρον.* (cf. Curtius, l. l. II, p. 255). —

Ἰνδάλλομαι (Ψ 460 *ἡνίοχος ἰνδάλλεται*) ad radicem *Ϝιδ-* spectare mihi videtur, cum *ν* ad confirmandam tantum radicem, ut haud raro (*ἀνδάνω, μανθάνω, πίνω, δάκνω, τέμνω,* simill.), additum sit. *Ἰνδ-άλλομαι* prorsus respondet Sanscrito verbo vind-â-mi, id est invenio, vi tantum paulo mutata.

Οἰήϊον quoque (T 43 *ἔχον οἰήια*) digamma habuisse verisimile est, si quidem Sanscritam linguam afferre licet. In hac enim lingua vi-vâh-a et vi-vâh-ja exstant, quibus Graeca vocabula *οἴαξ* et *οἰ-ή-ιον* respondent.

Ἑλελίζω (Δ 39 *κυάνεος ἐλέλικτο*). Ab eadem radice *Ϝελ-* derivatum est, a qua etiam *ἐλύω, εἰλύω,* imprimis *ἕλιξ* et *ἑλίσσω*, in quibus certissima digammatis indicia exstant, velut Σ 524 Θ 340 M 74, Σ 372, Φ 11, alia (cf. Hoffm. l. l. §. 115). Praeterea huc afferenda sunt verba Latina volvo, volutim, volutare, similia. Minime vero offendere posse varium spiritum in *ἐλελίζω* et *ἕλιξ, ἑλίσσω,* analogia aliarum vocum satis affirmat.

Ὅς, pronomen possessivum ad radicem *σϜε*-pertinere, cujus posterior forma tum *Ϝε-*, tum *σφε*-erat, diserte explicuit Curtius l. l. Nr. 601. De infinitis digammatis vestigiis conferas Ahrensium de dial. Aeol. 31. 170. et Hoffmannum l. l. p. 44. Satis igitur explicatur productio P 260 *κὲν ᾗσι*, ut omnino omittam, etiam caesurae pondus huc afferri posse, id quod ad cuncta exempla modo tractata spectat.

Quae supersunt hujus generis productiones, Hoffmannus vi caesurae seminovenariae probare studet. Sed omnino mirum est, caesura ista infirmissima hoc effici posse, ita ut eandem vim praestet, quam tres illae majores caesurae. Et re vera, si accuratius singula inspexerimus exempla, continuo intelligemus,

alias huc spectare causas. Primum enim nonnulla exempla, quae Hoffmannus affert, hic locum non habent propter digamma, quod praebent. Dico *N* 495 *ἐπισπόμενον ἑοῖ.* *Ἑοῖ* primitivam formam dativi *οἷ* fuisse existimo, cum addita est principalis terminatio dativi, qua linguae Indo-Germanicae utuntur, -*αι* vel -*οι* ad radicem pronominis tertiae personae *ἑ*-; per contractionem deinde usitata forma *οἷ* orta est. Radicem *ἑ*- vero digamma habuisse, modo commemoratum est. Nihil igitur obstat, quin conjiciamus, Homerum formam *Fέοι* adhibere potuisse. — *Σ* 589 *κατηρεφέας ἰδὲ.* *Ἰδὲ*, sive ab *εἴδω* sive a radice *ἰ*- vel *ἱ*- quae praeter *ἱ*- exstat, derivatur — dissentiunt enim viri docti — digamma exhibuisse verisimile est. Accedit, quod persaepe apud Homerum ante *ἰδὲ* hiatus aut aliud digammatis indicium invenitur. — *Ω* 765 *ἐεικοστὸν ἔτος.* In voce *ἔτος* sine dubio digamma erat, quod comparatis vocabulis linguae Sanscritae vatsas, vatsaras, id est annus, aut linguae Latinae vetus, vetustus, vetulus facile intelligi potest.

Quomodo aliae productiones ab Hoffmanno ad pondus caesurae seminovenariae allatae se re vera habeant, *Ξ* 357 *Ποσείδαον, ἐπάμυνε,* *K* 581 *εὐκλείας ἀφικέσθαι* *E* 13 *ἵπποιϊν δ δὲ* *N* 511 *ὤμοιϊν ἀφελέσθαι* *Π* 560 *ὤμοιϊν ἀφελοίμεθα*, jam supra exposui et restant tantum *A* 85 *θεοπρόπιον ὅτι*, *E* 752 et *Θ* 396 *κεντρηνεκέας ἔχον ἵππους.* De his quaerens ad rem venio, qua in explicanda singulari mihi videor ratione uti debere; est enim res, quae ad totam hanc quaestionem maxime valet, nam ratione illa probata multorum locorum, qui praeterea inexplicabiles essent, certa causa reperta esset. Constat enim quaestionibus virorum sagacissimorum, in verbis *ἔχω* et *ὅς* prioribus temporibus consonam quandam fuisse initialem. Jam quaeri potest, nonne consona illa ad Homerum quoque ratione aliqua pertineat. Quod si re vera ita se haberet, duplex ratio distinguenda esset: consona illa aut ipsa pronuntiata est ab Homero sive integra sive tamquam firma aspiratio aut recepta sunt ab eo vocabula et formulae tantum quaedam e poësi priore in qua valebat consona illa, ita ut vis ejus, certe aliqua ex parte, etiam apud Homerum in versu componendo valeat. Jam quaerendum est, utrum alterum probari possit.

Proprium est Graecorum, sollicite vitare consonas spiran-

tes. Labialis spirans longissime servata est, nam videmus eam non solum in dialecto Aeolica et Dorica, sed etiam apud Homerum ex notis signis apparet. Hanc consonam vero jam tempore, quo carmina Homerica orta sunt, tum antiquo modo pronuntiatam esse, tum evanuisse secundum recentiorem Jonum usum, negari non potest. Prius quam spirans labialis oblituit spirans palatalis j. Sed eam aetate fuisse, quae Graeco-Italica dici solet, qua Graeci et Itali non discesserant, satis certe concludi potest, quod linguae Italicae eam fere integram servaverunt. Sed etiam plus contendere licet; postea quoque, cum lingua Graeca separata esset ab Italicis, non tamen divisa in dialectos, litera j pronunciata est a Graecis idque mihi quidem hac de re apparere videtur, quod j maxime variam commutationem in dialectis Graecis praestitit; hoc vero fieri non potuit, si jam priore illa aetate in alias formas transiisset, ita ut dialecti eas a lingua priore quasi a matre communi accepissent. Quin etiam apud Homerum ipsum singula indicia exstant, quibus probari videtur, illi quoque literam j notam fuisse. Huc spectant imprimis voces ὥς et ἴεσθαι. Ante ὥς singulares inveniuntur productiones, quae nullo modo explicari possunt, nisi vi consonae alicujus initialis; idque tam crebro fit, ut firmissimus epicorum usus hic videatur exstare. Praeterea rarissime elisio aut correptio ante ὥς et ἴεσθαι invenitur. Consona igitur quin in initio verborum ὥς et ἴεσθαι valuerit ad componendum versum, dubitari non potest. Nonnulli quidem dicunt, re vera eam ab Homero pronunciatam esse aut integram aut firmam tantum aspirationem, sed licuisse ei, his vocibus etiam sine illa consona uti. Neque hoc prorsus temere conclusum videtur; nam analogiae quaedam apud Homerum exstant, velut verba quae digamma aut aliam consonam initialem tum obtinent tum amittunt, ita ut duplices exstent formae. Attamen ne audacius concludere videamur, alteram rationem praeferendam puto, cum illi opinioni obvium sit, quod nihil omnino traditum est de hac consona ab Homero adhibita et imprimis, quod certissimum est, spirantem palatalem j jam multo prius evanuisse e Graeca lingua, quam spirantem labialem; digamma vero Homeri aetate ex parte jam evanuisse et omnino sensim recessisse satis constat. Sine dubio consona

aliqua initialis in vocibus *ὡς* et *ἵεσθαι* antiquitus exstitit et ad versum componendum item atque aliae consonae valuit eamque literam j fuisse, ex comparatione cum aliis linguis rectissime conjiciendum est. Homerus autem locutiones quasdam, in quibus verba illa erant, e priore poësi recepit easque tamquam unum verbum efficientes in versum infixit; quod nequaquam offendere potest, si rationem habemus traditionis illius, quae ad epicam poësin spectat. Litera j sane interea prorsus evanuerat, sed hoc nullius momenti erat cum locutiones illae, quasi totum efficientes receptae, certam quantitatem exhiberent. Tum vero subinde liberiore quoque modo poëta has voces, quibus persaepe tamquam a consona inchoatis utebatur, ad alias locutiones, quae non ipsae ad illas e priore poësi receptas pertinebant, contulit. Quod optime confirmatur analogia, qua poëtae posteriorum temporum Homerum imitati verba receperunt, quae apud hunc digamma habebant iisque tamquam praebentibus hanc consonam utebantur, quamvis jam multo ante digamma evanuisset; et illi quoque verba talia primum in formulis quibusdam epicis, tum omnino etiam liberiore ratione adhibuerunt. Praeterea rem ita se babere certissimum testimonium afferri potest, quod re vera et *ὥς* et *ἵεσθαι* plerumque in locutionibus formularum instar compositis inveniuntur velut *Γ* 2 *ὄρνιθες ὥς* 230 *θεὸς ὥς* et multa similia, *οἴκαδε ἵεσθαι* (*B* 154), *πρόσσω ἵεσθαι* (*N* 291), *ὁ δὲ ἵετο θυμῷ* vel *μάλιστα δὲ ἵετο θυμῷ* (*Δ* 537. *N* 386. *B* 589), alia id genus.

In eandem autem rationem, in quam *ὡς*, etiam pronomen relativum *ὅς*, a quo *ὡς* adverbium derivatum est, spectarc mihi videtur. Nam hoc quoque consonam initialem priore tempore habuisse, a viris, qui studuerunt grammaticae linguas comparanti, clarissime demonstratum est, quamvis non satis constet, quae consona in initio fuerit, cum alii digamma, alii consonam j afferant. Equidem Curtio aliisque assentiar, qui hanc literam j esse dicunt (cf. Curtius Grundz. d. Etym. Nr. 606. — Jahn's Jahrb. 71, p. 354), imprimis cum *ὅς* vocesque propinquae prorsus respondeant Sanscrito vocabulo ja-s vocibusque inde derivatis. Non igitur mirum est, ante *ὅς* formasque finitimas persaepe syllabas antecedentes apud Homerum produci idque plerumque, ut e supra dictis consequitur, in formulis

quibusdam epicis, velut ἔπος ὅ, χωόμενος ὅτε, similia. — Denique eadem ratione explicandas puto productiones ante ἔχω, quod item consonam initialem, literam σ, prius exhibuisse, cum ex linguis propinquis, tum ex ipsa lingua Graeca concludi potest (conferas aoristum ἔσχον extrita vocali ε, imperfectum εἶχον pro ἔ-σεχ-ον, productum συν in συνεχὲς *M* 26, multa similia). Et sicut ὡς, ἵεσθαι, ὅς, etiam ἔχω, si producitur syllaba antecedens, in certa dicendi formula exstat, ita ut vix dubitari possit, quin re vera illa explicandi ratio huc spectet. — Hoc igitur modo productiones mihi probandae videntur *Α* 85 θεοπρόπιον ὅτι, *E* 752 *Θ* 396 κεντρηνεκέας ἔχον ἵππους, et similiter *Φ* 504 θυγατέρος ἧς. Neque alienae sunt ab hac explicandi ratione productiones *Λ* 463 ἄϊεν ἰάχοντος, *Ξ*, ἔλαθεν ἰαχῇ, nam has voces ad radicem *Fαχ*-pertinere et formas principales *FιFάχω*, *FιFαχή* statuendas esse, Bentlejus explicuit l. l. I p. 340. Homerus quidem has primas formas ignorasse videtur, sed formulas illas e priore poësi recepit. — Ceterum existimo, in omnibus his vocibus syllabam illam brevem, ut in priore poësi, etiam apud Homerum paulo intentam vel productam pronunciatam esse.

Jam locus adest, ubi de exemplis illis separatim prolatis paucis dicam, quae primo obtutu caesuris tantum probanda videbantur, quamvis sane hic consonam prius in initio vocum productam syllabam subsequentium exstitisse pateret. Quaerere enim possis, utrum ad ea quoque causa modo commemorata afferenda sit. Profecto difficillima res et vix dijudicanda. Mihi quidem verisimile videtur, locis quibusdam, ubi locutiones formularum epicarum instar exstant, certe adjuvantem afferendam esse illam causam, velut *Α* 51 et *Δ* 129 βέλος ἐχεπευκές. *Α* 244 χωόμενος ὅτι, tum Ἀλέξανδρος, Ἑλένης πόσις ἠϋκόμοιο, quod sexies in Iliade reperitur: *Γ* 329 *Η* 355, *Θ* 82, *Λ* 369. 505. *Ν* 766, praeterea νῆας ἅλαδε, similia, sed in universum summa cautione de his exemplis quaerendum et constituendum est et formulis tantum illis fortasse exceptis, consonam priore quidem tempore validam, sed tum oppressam non afferendam causam puto. —

Tractatis his exemplis, quae Hoffmannus caesurae seminovenariae vi excusare studet, duae tantum hujus generis productiones restant: Φ 23 λιμένος εὐόρμου et Σ 288 μέροπες ἄνθρωποι, quas caesura seminovenaria excusare ne Hoffmannus quidem audet, quod caes. semiseptenaria antecedit, post quam illa caesura omnino nullius momenti est. Quae loca profecto inexplicabilia videntur, nisi licet ea proprietate consonae finalis, acerrime pronunciatae literae σ excusare. Graecos enim prius duplici σ usos esse, et acriore et molliore, satis constat; acrius σ sane paulatim prorsus evanuit, sed Homeri aetate valebat, cum demum quadringentis fere annis post carminum Homericorum compositionem Laso auctore imprimis a poëtis extritum vel potius lenitum sit. Fortasse igitur ad illa loca hoc acrius σ affere licet. Omnino vero vix momento aliquo esset, si haec duo exempla explicari non possent, nam satis apparet, Homerum non licentia poëtica in his rebus usum esse, sed consulto omnem ejusmodi offensionem vitasse.

B. De productione syllabarum in vocalem terminatarum ante consonam.

Primum hic permulta loca occurrunt, ubi clarissime apparet, poëtam consulto offensionem tollere studuisse; et profecto simplicissimum ei hic suppeditabat auxilium, dico ν paragogicum vel ν ἐφελκυστικὸν, quod vocant. Homero enim hoc ν etiam ante consonas uti licuit, cum a posterioribus ante voces tantum a vocali inchoatas adhiberi posset. Ceterum plerumque falsa opinio de hujus consonae natura exstat, quare non alienum puto, si paucis hic de ea disseram. Omnino enim mirari possis, quod hoc ν ad certas tantum voces et formas in ι et ε desinentes adjicitur, cum permultae aliae voces in easdem vocales cadentes nunquam eo utantur, quamvis saepius in hiatu inveniantur. Quamobrem vulgaris opinio, qua consona illa ad hiatum vitandum et tum a poëtis metri causa affixa sit, maxime subditicia videtur. Et re vera demonstrari potest, formas cum illo ν principales fuisse et paulatim demum in breviores debilitatas esse. Hoc enim comparatio cum propinqua-

rum linguarum clarissime demonstrat, tum aliarum dialectorum, quae haud raro prius ν obtinebant, etiam in formis, ubi in vulgari lingua prorsus evanuit, velut in ἐγάνη, ἐμίνη, τύνη, multis aliis. Ipse Homerus haud raro voces ejusmodi praebet, velut ἐγών, τύνη, τεΐν, ἴν, μίν. Interdum etiam in prosa oratione illud ν ante voces a consonis inchoatas invenitur, quod veteres inscriptiones et subinde codices quoque affirmant, ita ut clarissimum sit poetam non licentia quadam vocibus illis plenioribus uti, sed suo jure priores et genuinas formas praebere. Ceterum prorsus similiter se habent voces οὕτως, μέχρις, ἄχρις, ὄπισθεν, ἔνερθεν, πρόσθεν, πολλάκις, εὐθὺς, οὐκ, ἐξ, multa alia, ubi brevior forma sine consona finali ν vel σ vel κ praeter illas exstat; cum hic vero nemo contendat, breviores formas esse priores, longiores contra hiatus vitandi causa substitutas esse, eodem jure etiam formae cum ν paragogico priores statuendae sunt. Non igitur dubitandum est, hoc ν adjicere, ubi metro mederi possit idque rectissime in nostris editionibus jam effectum est.

Jam ad ea loca venio, ubi speciem tantum productionis exstare, facile demonstrari potest. Dico voces, quarum alteram formam substituere licet. Huc spectant primum adverbia in ι, velut αὐτονυχί, ἀναιμωτί, ἀσπουδί, ἐγρηγορθί, ἀνουτητί. In variis libris ea varia proferuntur scriptura, modo in diphthongum, modo in simplicem vocalem desinentia. Ita Θ 197 αὐτονυχεὶνηῶν Eustathio referente, in aliorum, in Herodiani et Apionis commentariis αὐτονυχί scribebatur. Sine dubio αὐτονυχί alia id genus debilitatae erant formae, αὐτονυχεί, cetera priores, quibus Homerus suo jure uti potuit. Verisimile enim est, haec adverbia re vera locativos esse, ita ut primum exstaret ἀμισθοί (cf. οἴκοι), tum ἀμισθεί, denique ἀμισθί. Non igitur dubitandum est, Θ 197, Ρ 363. 497, Ο 228, Θ 512, Ο 476 Χ 304 Κ 182 Χ 371 pleniores formas in -ει scribere. —

Simili ratione pro πρὸς, ἐς, ἐν, ὑπέρ, si producta exstant, plenior forma προτί, εἰς, εἰν (pro ἐνί), ὑπείρ (pro ὑπερί) substituenda est, id quod uberiore explicatione confirmandum mihi non necesse videtur. — Neque dubito, quin formae ὑπαί, παραί, ἀπαί, quae in libris nostris subinde scriptae exstant,

rectissime se habeant. Mirum enim esset, quod, si illatae essent illae formae, ut Hoffmannus putat, ad excusandas duriores productiones, quod igitur tam singulari modo mutabantur haec vocabula, id quod omnino nulla analogia confirmatur. Equidem puto, hic quoque nos a priore forma proficisci debere et mihi quidem verisimile videtur, has voces re vera locativos esse, quarum genuina forma ab Homero illis locis adhibita sit; responderent igitur adverbio *χαμαὶ*, ubi aperte genuina locativi forma conservata est. Quamvis igitur veteres grammatici has formas usitatis praeferri plerumque vetent, velut Eustath. ad *B* 44. p. 170, tamen recte legi existimo *Γ* 217 *ὑπαὶ δὲ* *B* 824 *ὑπαὶ πόδα* *Λ* 417 *υπαὶ δὲ* *B* 711 *παραὶ Βοιβηΐδα* *E* 837 *παραὶ Διομήδεα* *Λ* 233 *παραὶ δὲ* *N* 605 *παραὶ δὲ* *O* 175 *παραὶ Διός*, 280 *παραὶ ποσί* *Λ* 793, *O* 404 *παραίφασις* *Ω* 771 *παραιφάμενος* *Ξ* 208 *πραιπεπιθοῦσα* *Ψ* 132 *παραιβάται*. (Conferendum est etiam adverbium *ὕπαιθα*). —

Ad veras productiones hujus generis hic quoque primum afferenda est vis caesurarum majorum, quam tamen ubique fere aliud momentum adjuvat, aut interpunctio aut natura liquidae, quae in initio subsequentis vocis exstat aut tale aliquid; idque suo jure, nam productiones hujus generis magis offendere posse quam prioris et hanc ob rem quam maxime firma excusatione egere, supra jam commemoravi.

Excusantur igitur productiones

a) Caesurae semiquinariae pondere *E* 745 *Θ* 389 *E* 827 *Δ* 321 *Λ* 305 477 *Ξ* 320 *Π* 774 *P* 299 626 *Ξ* 444 *T* 400 *Ω* 119 176 *H* 228 (item *Π* 146. 575) *N* 324 *O* 617 *P* 296 *Δ* 155 *E* 359 *Ξ* 320.

b) caesurae semiseptenariae pondere *I* 457 574 255 191 *Λ* 480 *Π* 21. 216 *P* 594 751 *Y* 55 *Ψ* 715 *E* 887.

c) caesurae semiternariae pondere *E* 359 *Π* 556 *Φ* 474 *Ψ* 602 *Ω* 88. 7. *P* 403 *B* 39. —

Interdum productionem natura vocalis *ι* excusari, supra jam commemoravi. Cujus generis sunt, ut nonnulla exempla afferam, *E* 156 *πατέρι δὲ* *I* 180 *Ὀδυσσῆϊ δὲ* *P* 123 *Αἴαντι δὲ* *X* 314 *κόρυθι δὲ* *P* 152 *πτόλεϊ δὲ* *B* 116 et saepius *ὑπερ-*

μενέϊ φίλον Ψ 244 *Ἄϊδι κεύθωμαι* Υ 434 *ὅτι σὺ*, Σ 385 *Θέτι τανύπεπλε*. Plerumque vero producitur *ι* ante vocem a liquida inchoatam, ita ut altera causa eaque major, natura hujus consonae accedat. Quod tam saepe fit, ut omnia loca afferre efficere vix possis; hujus generis sunt Λ 846 Ζ 140 *ὕδατι λιαρῷ* Λ 532 *μάστιγι λιγυρῇ* Ξ 290 *ὄρνιθι λιγυρῇ* Ψ 196 *δέπαϊ, λιτάνευεν* Α 283 *Ἀχιλλῆϊ μεθέμεν* Ο 104 *Ζηνὶ μενε αινέμεν*, et praeter dativum imprimis praepositiones *ἐνὶ*, *ἐπὶ*, *περὶ*, *ποτὶ* syllabam ultimam productam frequentant litera liquida accedente, veluti Α 233 Ι 132. 274. Χ 225 *ἐπὶ μέγαν* Θ 324 *ἐπὶ νευρῇ* Φ 10 *περὶ μεγάλ'* Ζ 286 *ποτὶ μέγαρ'* — Et omnino infinita fere productionum hujus generis pars ante voces a liquidis inchoatas exstat, cum vix versum inveneris, qui non hujusmodi productionem praebeat. Quare non alienum videtur, praeter singularem liquidarum naturam ad producendum aptam, aliam causam suspicari atque indagare. Quod sine dubio Hoffmannum quoque commovit, ut omnino liquidarum natura excusari productiones neget et prorsus aliud explicandi principium sequatur. Existimat enim, omnes a liquida inchoatas voces, quae productionem efficiant, prius alteram consonam initialem praestitisse, quae Homeri tempore valuerit, et jam quaerit, quam consonam singulae voces praebuerint. Neque negari potest, gravissimis causis hoc praeceptum confirmari videri. Primum enim ex comparatione aliarum linguarum demonstrari potest, ante liquidas potissimum in Graeca lingua saepissime consonam aliquam extritam esse. Tum analogas res ex ipso Homeri sermone afferre licet, velut digammi usum et voces quasdam, qnae eadem ratione tum firmiores formas cum consona initiali, tum debilitatas sine ea praebent; cujus generis sunt *λαιψηρὸς* et *αἰψηρὸς*, *λείβω* et *εἴβω*, *γαῖα* et *αἶα*, *μία* et *ἴα*, *χλιαρὸς* et *λιαρὸς*, *σμικρὸς* et *μικρὸς*, *σῦς* et *ὗς*, *σκίδναμαι* et *κίδναμαι*, *σφὶν* et *φὶν*, *διώκειν* et *ἰώκειν*; similiter se habent *πτόλις* et *πτόλεμος* praeter *πόλις* et *πόλεμος*, *προτὶ* praeter *ποτὶ*, *χρησμοσύνη* praeter *χρημοσύνη*. Denique afferri possit, epico poëtae licuisse, plenioribus illis formis uti, quamvis ipsius tempore non frequentatae sint, jure poëtae saepius jam commemorato.

Attamen non concedendum est, pleniorem formam statui, ubicunque vocalis ante vocem a liquida inchoatam producitur. Qua in re Hoffmannus mihi quidem longius progredi videtur; saepius enim non certam rationem et methodum secutus, sed potius divinatione quadam idoneam radicem indagat, allectus simili sonitu vocum quarundam in propinquis linguis, interdum vero aperte errat, cum de vocibus quibusdam a liquida inchoatis certissime cognitum sit, eas non alteram consonam initialem praebuisse, quo spectat μέγας, μέγαρον, alia. Statuendum potius existimo, non quidem principium ab Hoffmanno allatum omnino refellendum, sed restringendum et paulo moderandum esse. Equidem non dubito, quin res prorsus similiter se habeat atque productiones primi et secundi generis ante liquidas: pars productionum probatur singulari pronunciatione liquidarum, pars duplici consona Non tamen statuam, alteram hanc consonam re vera pronunciatam esse Homeri aetate — offendit enim, quod nihil omnino de ea traditum est et imprimis, quod plerumque tales consonarum juncturae erant, quas jam maturrime debilitatas esse mihi quidem persuasum est, — sed illam potius rationem praeferam, ad quam voces cum initiali litera *j* spectare existimavi. Verisimile igitur videtur, Homerum illas voces e priore poësi, ubi altera consona suo jure valebat, primum in certis quibusdam dicendi formulis recepisse, tum fortasse eas in aliis quoque locutionibus eadem quantitatis ratione subinde adhibuisse. Jam ea hujusmodi vocabula enumeraturus sum, quae re vera quondam alteram consonam initialem exhibuisse, satis constat.

Ῥωγαλέος, ῥήγνυμι, ῥηκτὸς, similia *F* quondam in initio praebuerunt; referenda enim sunt ad radicem *Fραγ*, quod Latinorum frango, fragmen, fragilis, alia, tum Aeolum *Fρῆξις* (Ahrens de dial. Aeol. 33), **Βρῆσσα**, βράκος multa alia satis demonstrant (cf. διαῤῥώξ, ἔῤῥωγα). Productiones, quae huc spectant, sunt: *M* 198 τεῖχός τε ῥῆξειν, *N* 323 χαλκῷ τε ῥηκτὸς *Ψ* 673 τε ῥῆξω *M* 308 διά τε ῥῆξασθαι *Σ* 571 τοὶ δὲ ῥήσσοντες *Λ* 437 *B* 773 ἐπὶ (vel παρὰ) ῥηγμῖνι θαλάσσης *Π* 67 οἱ δὲ ῥηγμῖνι θαλάσσης *Y* 229 ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος *I* 661 κώεά τε ῥῆγός τε.

Ῥητὸς, *ῥητὴρ* similia (*Φ* 445 *I* 443) digamma habuisse non uberiore explicatione eget, cum ea ad radicem *Fερ*- pertinere nemo neget (cf. verbum, Gothorum vaurd; tum formas *εἴρημαι* pro *FέFρημαι*, *εἴρηκα* pro *ἔ- Fρηκα*, *ἐῤῥήθην* pro *ἐFρήθην*).

Νιφόεις, *νιφὰς*, *νίζω* ad radicem snigh- pertinere videntur, quod voces quidem propinquarum linguarum (cf. Curtium l. l. Nr. 440) significant. Productiones ante ea exstant *M* 278 *ὥστε νιφάδες* *N* 754 *ὄρεϊ νιφόεντι* *Γ* 222 *ἔπεα νιφάδεσσιν* *Ξ* 227 *ὄρεα νιφόεντα* *Y* 385 *ὑπὸ νιφόεντι* *H* 425 *ὕδατι νίζοντες*.

Νευρὴ ad radicem snar pertinet, quod veterum Germanorum voces snar-a, snuor, aliae confirmant. Productiones ante hanc vocem exstant *Δ* 108 *ἐπὶ νευρῇ* (item *Θ* 324) *Δ* 476. 664 *ἰῷ ἀπὸ νευρῆς*. Fortasse ad similem radicem spectat *νυός* (*Ω* 166 *ἰδὲ νυοὶ*), cui respondet Germanorum snur, Schnur.

μοῖρα, (*Π* 367), *μείρομαι*, *μέρος*, similia ad radicem smar-, pertinent (cf. Curtium l. l. Nr. 467), id quod velut formae *ἔμμορα* pro *ἔσμορα*, *εἵμαρται* pro *σέ-σμαρ-ται* demonstrant.

In aliis vocibus, velut *ῥιπὴ*, *ῥάβδος*, *λιγύς*, *λιγυρὸς* fortasse antiquissimis temporibus, nequaquam vero Homeri tempore altera consona initialis valebat; nam cum praeter perpaucas productiones ante has voces nullum illius consonae vestigium exstat, tum permultae propinquae voces nullum omnino ejus indicium praebent.

Denique in aliis vocibus, quas Hoffmannus affert, veluti *μέγας*, *μέγαρον*, *λίσσομαι*, *λιτανεύω*, *ῥῖνες*, *λαπάρη*, *λίθος*, *μαλακὸς*, *νύσσα*, *μιαρός*, *μυρίκη*, non alteram consonam initialem fuisse aut satis constat aut nulla omnino certa causa probari potest. Ante has igitur voces productionem natura tantum liquidarum excusare licet; cujus generis sunt: *E* 547 *Διοκλῆα μεγάθυμον* *M* 379 *Ἐτεοκλῆα μεγάθυμον* *I* 303, *O* 311, *X* 407. 435 *K* 172, *O* 695 *μάλα μέγα* (vel *μεγάλη*); *P* 723 *μάλα μεγάλως* *I* 463 *κατὰ μέγαρα* *Σ* 159, *Φ* 310 *κατὰ μόθον* *X* 309 *διὰ νεφέων* *Δ* 379 *μάλα λίσσοντο* *Z* 64, *Ξ* 447.

517 *κατὰ λαπάρην* Ω 607 *ἄρα Λητοῖ*, Ψ 510. 642 *ἄρα μάστιγι* Φ 174 *ἄρα μελίην* Ω 285 *ὄφρα λείψαντε* Μ 283 *πεδία λωτεῦντα* permulta alia id genus.

Rectissime vero priorem consonam afferri puto ad voces quasdam non a liquida inchoatas, dico *δήν*, *δηρόν*, *δέος*, *δειλός*, *δεινός*, *δεῖμος*, *δεισήνωρ*, *δείδω*. Quod primum ad *δὴν* attinet, hoc vocabulum idem est atque in Sanscrita lingua divâm, ita ut re vera *διFα-ν* et extrito *ι* *δFάν* vel *δFήν* statuendum sit (cf. Curtium l. l. II, p. 145) Quod optime confirmatur forma *δοάν*, quam Alcmanus exhibet (Bekkerus Anecd. 949. 20). Non igitur dubito, quin in *δὴν* et in *δηρόν*, quod ab eadem radice descendit, digamma apud Homerum valuerit; satis igitur probantur productiones Α 416, Ν 573 *μάλα δήν* Ζ 139, Θ 126, Υ 426, Ψ 690 *ἔτι δήν*, Π 736 *οὐδὲ δήν* Ι 415 *ἐπὶ δηρὸν*. —

Paulo aliter voces, quae ad radicem verbi *δείδω* pertinent, se habent. Prima enim hujus radicis forma erat *δι*-, quae in *διε*- (*δίεμαι*) et *δjι* vel *δjε* vel *δjει* diffindebatur. Statuendum igitur est, primum exstitisse *δjέος*, *δjειλός*, *δjεινός* cetera. Comparatione propinquarum linguarum et formis velut *ἔδδεισα*, *περιδδείσασα*, *ὑποδδείσας*, *ἀδδεές* hoc satis confirmatur (cf. Curtium l. l. Nr. 268); j sane interea prorsus evanuit, sed productiones quaedam ad Homerum tamquam formulae metricae pervenerunt ex antiquiore poësi. Cujus generis sunt Κ 376 *ὑπὸ δείους* (nisi legere praeferas *ὑπαὶ δείους*) Ε 817 *με δέος* Λ 37 *δὲ Δεῖμος* Ρ 217 *τε Δεισήνορα* Ω 116 *τε δείση* Κ 254, 272 *ἐνὶ δεινοῖσιν* Ο 119 *κέλετο Δεῖμον* Γ 172 *ἑκυρὲ δεινός* Ε 574 *τὼ μὲν ἄρα δειλώ* Ξ 387 *ἀλλὰ δέος* Φ 25 *κατὰ δεινοῖο* Ν 224 *τινα δέος*.

Nonnullae denique hujus generis productiones exstant, quae certa explicatione satis carere videntur; dico Α 45 *ἀμφηρεφέα τε* Ο 478 *δὲ τό ξον* Υ 255 *ἔτεά τε* Ξ 503 *δάμαρ Ἀλεγηνορίδαο* Ψ 240 *ἀριφραδέα δέ* 198 *τε σεύαιτο*. Ο 478 sane metro corrupto mederi possumus, si cum Bentlejo et Spitznero legimus *ὃ δ' αὖ τόξον* et Ψ 198 fortasse productio digammo allato probanda est, nam in initio vocis *σεύω* *σF* quondam exstisse, supra jam commemoravi. Sed aliis quoque locis of-

fensionem tolli posse, mihi quidem persuasum est, quamvis nesciam, quae medela afferenda sit. Mirum enim esset, si Homerus his paucis locis illam licentiam sibi concessisset, quam ubique praeterea, ut vidimus, refellit.

C. De productione syllabarum in vocalem cadentium ante vocalem.

Ad hoc productionum genus, cum omnium durissimum sit, perpauca tantum exempla eaque gravissimis causis confirmata pertinent. Cum vero non novae causae huc afferendae sint, satis erit, singula exempla enumerare et perlustrare.

Primum pars productionum digammate restituto probari potest; quo spectant *E* 576 *Πυλαιμενέα ἑλέτην* *Γ* 172 *φίλε ἑκυρὲ* *Υ* 259 *σάκεϊ ἔλασε*, *Χ* 307 *τὸ οἷ* *Δ* 86 *ἀνδρὶ ἰκέλη* *Φ* 507 *προτὶ οἷ* *Ξ* 92 *ἐπίσταιτο οἷ.* Singularis igitur digammatis pronuntiatio huc causa afferenda est, quam praeterea vero aut caesura aut firmitas vocalis *ι* adjuvat. Eadem ratione etiam *E* 343, *Z* 62, *M* 205, *N* 163, *Ξ* 427, *Υ* 261, *Υ* 278, *K* 465 *ἀπὸ ἕθεν* explicari possent, sed rectius hic altera forma *ἀπαί* substituitur. — Caesurae vi una cum firmitate vocalis *ι* excusatur productio *Ω* 285 *δέπαϊ, ὄφρα*-. —

Ceterae productiones omnes illam rationem sequuntur, quam supra exposui, cum de productione ante voces *ὡς*, *ἵεσθαι*, *ἔχω* agerem; exstant enim in formulis quibusdam ex antiquiore poësi receptis et pars quidem earum ante pronomen possessivum *ὅς*, altera pars ante voces *ἰάχω*, *ἰαχή*, alia id genus. *Ὅς* et *ἰάχω* enim digamma quondam exhibuisse, supra jam exposui; suo jure igitur illis prioribus temporibus syllaba ante has voces produci potuit propter singularem digammatis pronunciationem. Homerus vero illas locutiones recepit, nam eum ipsis formis *ϜιϜάχω*, *ϜιϜαχή* et *Ϝός* vel *σϜός* usum esse, minus recte aliquis contendat. Sed copiosius jam supra totam hanc rationem tractavi, quare satis sit, exempla, quae huc spectant, afferre: *Z* 192 *θυγατέρα ἥν* (item *Λ* 226) *P* 196 *ἄρα ᾧ* *E* 71 *πίσεϊ ᾧ* *Ω* 36, *Π* 542 *σθένεϊ ᾧ* *Ξ* 92 *ἐπίσταιτο ᾗσι* *E* 371 *N* 376 *θυγατέρα ἥν* *B* 832 *Λ* 330 *οὐδὲ οἷς* *P* 196 *ἄρα ᾧ*. Praeterea *Δ* 456 *M* 144 *Π* 366 *O* 396 *γένετο ἰαχή* *Ξ* 421, *P* 213,

*

Z 160 *μέγα ἰάχων*, *E* 343 *μέγα ἰάχουσα* *E* 302 *Θ* 321 *Π* 785 *T* 41 *Y* 285, 382, 443 *σμερδαλέα ἰάχων*. *O* 175 *ὑπὸ ἰαχῆς* (nisi praeferas *ὑπαὶ ἰαχῆς*) *Π* 373 *δὲ ἰαχῇ*.

Ceterum monendum est, hic quoque semper fere ad digammatis naturam caesurae vim adjuvantem causam accedere, et omnino plerumque compluria unum in locum convenire causas ac momenta, quibus hujus generis productiones, omnium difficillimas, probare licet. —

THESES.

I. Octavum librum a Thucydide non perfectum esse censeo, quare explicetur, cur orationes non exhibeat.

II. Novissimam Ajacis partem non a Sophocle, sed ab Jophonte, filio ejus compositam esse contendo.

III. In Iliadis *Ψ* 74 verborum collocationem mutandam et scribendum esse censeo: *ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' Ἀΐδος εὐρυπυλὲς δῶ.*

IV. In initio pronominis relativi *ὅς* vocumque propinquarum consonam j quondam exstitisse defendo.

V. Xenophontem Ol. 87 natum esse contendo.

VI. Librum, cui inscriptum est „*Ἀθηναίων πολιτεία*" non a Xenophonte, sed jam initio belli Peloponnesiaci ab auctore non satis noto conscriptum esse censeo. —

PATRI DILECTISSIMO

ET

UNICO EJUS FRATRI

AUCTOR.